

DE

JOHANNE GERSONIO

PUERORUM ADULESCENTIUMQUE INSTITUTORE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ALBERT LAFONTAINE


EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

LA CHAPELLE-MONTLIGEON

IMPRIMERIE DE NOTRE-DAME DE MONTLIGEON







Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

DE JOHANNE GERSONIO
PUERORUM ADULESCENTIUMQUE INSTITUTORE

DE

JOHANNE GERSONIO

PUERORUM ADULESCENTIUMQUE INSTITUTORE

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ALBERT LAFONTAINE

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS



LA CHAPELLE-MONTLIGEON

IMPRIMERIE DE NOTRE-DAME DE MONTLIGEON

1902

THE INSTITUTE OF MEDIEVAL STUDIES
10 EGLINTON PLACE
TORONTO 5, CANADA.

NOV 14 1931

1259

PRÆCIPUORUM OPERUM NOTITIA

Quæ tum in hoc libro confiendo nobis profuerunt,
tum ad omnem Gersonianam de pueris educandis
doctrinam pertinent.

JOHANNIS GERSONII *Opera* edidit Ellies Du Pin, secunda editio, 5 vol. in fol. Hagæ comitum, 1728; — Alia editio ab eodem Ellies Du Pin collata Autwerpiae, 1706.

JOHANNIS DE GERSON *Opera*, edidit Richer, Parisii, 1606.

SCHAWB (Joh.-Bapt.), *Johannes Gerson, professor der Theologie, und Kanzler der Universität Paris*, Würzbourg, 1858.

DU BOULAY (Bullæus), *Historia Universitatis Parisiensis*, 6 vol. in fol. Paris, 1676 (tomes IV et V).

LAUNOY, *Historia Collegii Navarrensis*, 1 vol. in 4°, 1677.

JOURDAIN (Ch.), *Index chronologicus chartarum ad historiam Universitatis Parisiensis pertinentium*, Paris, 1862.

FAUGÈRE, *Éloge de Gerson*, 1838.

A. MASSON, *Jean Gerson, sa vie, son temps, ses œuvres*, Lyon, Emmanuel Vitte, 1894.

THOMASSY, *Jean Gerson, Chancelier de Notre-Dame et de l'Université de Paris*, 1 vol. in 18, Paris, 1843.

DUPRÉ-LASALLE, *Éloge de Gerson*, 1838.

L. SALEMPIER, *Le Grand Schisme d'Occident*, Lecoffre, Paris, 1900.

RELIGIEUX DE SAINT-DENYS, *Chroniques de Charles VI*, Ed. Bellaguet, 6 vol. in 4°, 1839-1852, Didot. (Collection des documents inédits sur l'Histoire de France.)

JUVÉNAL DES URINS, *Histoire de Charles VI*, Ed. Michaud et Poujoulat, 1836.

- E. GUILLON, *De Johanne Gersonio, quatenus in arte politica valuerit*, Colin, Paris, 1888.
- SCHMIDT (Ch.), *Essai sur Gerson*, Strasbourg, 1839.
- CLAMENGIS (Nicolaus de), *Opera omnia*, Lugduni Batavorum, 1613.
- DENIFLE ET CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, 4 vol. parus, Paris, 1890 et suiv.
- DENIFLE, *La Désolation des églises, des monastères et des hôpitaux durant la guerre de Cent ans*, Paris, 1899.
- LECUY, *Essai sur la vie de Jean Gerson*, 2 vol., Paris, 1832.
- CHRISTINE DE PISAN, Poésies, Édit. Maurice Roy (en publication, 3^e vol. 1895).
- THOMASSY, *Jean Gerson et le Grand Schisme d'Occident*, 2^e Édition, Paris, 1852.
- RICHER, *Apologia pro Gersonio*, 1 vol. Lugduni Batavorum, 1676.
- BOURRET (Abbé), *Essai historique et critique sur les sermons français de Gerson*, 1 vol., 1858.
- CLAUDE JOLY, *Traité historique des écoles épiscopales*, 1678.
- GERSONII *Opera omnia*, Cologne, Jean Koelhoff de Lubeck, 24 mai 1483, 4 vol. in-folio.
- PAUZER, *Gersonii opera omnia*, Strasbourg, 10 septembre 1488. 3 vol. in-folio.
- NIEMEYER (Auguste-Hermann), *Principes de l'Éducation et de l'Enseignement*, 9^e édition, 1834-35.
- THUROT, *De l'organisation de l'Université au moyen âge*.
- HISTOIRE LITTÉRAIRE DE LA FRANCE, t. XXIII, XXIV.
- BUISSON, *Dictionnaire de Pédagogie*, Paris, Hachette, 1882
- Le Confessionnal, autrement appelé le Directeur du confesseur*, attribué à GERSON, Paris, 1537.
- JEAN GERSON, *Tractatus de Parvulis ad Christum trahendis, cui accessit præfatio cum annotationibus plurimis de cura pastorali erga pueros ac juvenes*. Rennes, Ossy, 1844. — Le même, trad. en français par A. Hennequin. Douai, V. Adam, 1831.
- Donatus Moralizatus*, Bibl. Mazarine, cote 747.
- De Erroribus circa artem magicam*, B. Mazar., cote 26779.

Manuale Confessorum, Cologne, Hermann Kelwych, 1498,
in-4°, B. Mazarine, cote 1024.

La Mendicité spirituelle, les Méditations de l'âme, le Consolatif de tristesse, Paris, Michel Lenoir, 15 février 1500 (1).

L. DUPLAIN ET GIRAUD, *Saint Paul de Lyon*, Lyon, 1899.

JEAN GERSON, *L'Instruction des Curez, tant en latin qu'en françois, nécessaire à tous curez, vicaires, maistres d'escole, mesme aux pères de famille, pour instruire leurs enfants en l'amour et crainte de Dieu. Avec une briefve manièvre de se confesser.* — Lyon, Benoist Rigaud, 1573. In-42.

Id., édition de 1575 chez Jacques Keruer, 1575. Paris.

F. BUISSON, *Préface du Répertoire des ouvrages pédagogiques du XVI^e siècle*, N° 3 des *Publications du Musée*, Paris, Imprimerie nationale, 1886, in-8°.

DEMIA (Messire Ch.), *Règlement pour les Écoles de la ville et du Diocèse de Lyon*, Lyon, André Olyer, in-4°.

ONÉSYME LE ROY, *Étude sur les mystères, monuments historiques et littéraires, la plupart inconnus, et sur divers manuscrits de Gerson*, etc. Paris, Hachette, 1837.

Consulto omisimus omnia opera quæ ad « Imitationem » spectant.

(1) *Omnia hæc opera vulgo Gersonio tribuuntur.*

BG
6612
L17

PROCÉMIUM

In opusculo cui inscribitur *Vita Gersonii Doctoris et Cancellarii Parisiensis ex ejusdem operibus collecta*, anno 1606 edito, scriptor, postquam ostendit quanta laude, in rebus sive ad theologiam, sive ad litteras, sive ad eloquentiam pertinentibus, niteret Gersonius, hæc addit : « Præterea pueros affectu paterno amplexus est, adulescentes sanctioribus præceptis imbuit, Gymnasiorum moderatores et paedagogos omnes erudivit ; principes, nobiles et filios regum melioribus documentis instruxit. » Qua sententia tanquam indice ac duce usi sumus ut hanc dissertationem conficeremus.

Plurimi enim sunt qui de Gersonio, etiam ætate nostra, scripserunt, inter quos eminent præcipue E. Bourret (1) et E. Guillon (2), quorum prior de Gersonio oratore præsertim disseruit ;

(1) *Essai historique et critique sur les Sermons français de Gerson*, par M. l'abbé Ern. Bourret.

(2) *De Johanne Gersonio, quatenus in arte politica valuerit*. E. Guillon, 1888.

posterior vero ostendit quantum in arte politica valuerit Cancellarius. Omnia scriptorum nullus tamen operam dedit ut præcipue declararet quanto studio institutionis puerilis officiis, per totam vitam, incubuisset. Quod munus certe gravissimum inter cetera habuit Gersonius, cum non dubitaverit a Cancellariatus honoribus se abdicare, quo facilius ei totum se daret. Voluimus igitur in lucem proferre quam sincero amore pueros atque adulescentes prosecutus essemus, quibus quoque rationibus ipsis prodesse in scientia, in studiis, in moribus, in tota denique disciplina conatus essemus, cum acrius quam æquales sensisset omnia incommoda in quibus, ob temporum et institutionum barbariam, pueri atque imprimis studentes quotidie versarentur.

Quo vero facilius hoc propositum assequemur, totum argumentum in quatuor capita distribuimus, in quibus, postquam investigavimus causas cur pueris educandis Gersonius incubuisset, quæsivimus quas rationes sive ad corporis disciplinam et ad studentium commoda, sive ad mentem instituendam, sive ad mores informandos attulisset.

Imprimis Gersonii operibus sedulo legendis studuimus, cum persuasum haberemus nulla alia ratione magis idonea detegi posse qua mente totam disciplinam excogitavisset, eaque, decursu vitae, usus esset. Præterea, cum Gersonius magis

curaret usu quotidiano et exercitatione doctrinam suam confirmare, quam sententiis novis et plerumque otiosis præcepta illustrare, necesse erat quadam patienti ejus operum investigatione in lucem proferremus omnia quibus ejus studium manifestius fieret ac commendaretur. Denique cum, eo tempore, doctrina christiana, in rebus ad disciplinam pertinentibus, regula sacra ab omnibus servaretur, neglegebant præceptores quærere aliam puerorum instituendorum rationem; et ipse Gersonius, cum de hac re se sollicitum præbet, magis studet ut vitia, errores corripiat, quam ut nova disciplinæ præcepta ex integro constituat. Itaque, præter hoc insigne de *Parvulis ad Christum trahendis* opusculum, nihil scripsit ut *ex professo* disciplinæ propriæ regulas traderet.

Quapropter satis habeamus si tantum ea dissertatione legentibus ostendamus, quam benevolo et studioso animo, præclarus ille Universitatis Cancellarius pueris adolescentibusque educandis fuerit deditus, cum fere nemo de eis curaret, sive inter homines rebus ad rempublicam pertinentibus deditos, sive etiam inter ipsos gymnasiorum moderatores atque magistros.

DE JOHANNE GERSONIO

PUERORUM ADULESCENTIUMQUE INSTITUTORE

CAPUT PRIMUM

QUIBUS CAUSIS DUCTUS FUERIT GERSONIUS UT PUERIS
ADULESCENTIBUSQUE EDUCANDIS INCUMBERET

Videtur Gersonius, *toto vita decursu*, non solum
indole et ingenio, sed etiam naturali quadam rerum
dispositione, ad pueros educandos fuisse constitu-
tus. Triginta enim et tres annos natus, Cancellarius
creatus est Universitatis Parisiensis quæ, eo tempore,
tum magistrorum scientia, tum alumnorum numero
omnium celeberrima fuit (1).

Quo in officio Gersonius litteras, artes, omnes
denique scientias maxima cum cura debuit excolere,
et ideo assidue cum studentibus omnium Facultatum
et scholarum versatus est. Cancellarii enim munus
erat ad varios gradus, et præsertim ad licentiam do-

(1) Cf. Op. Gers., II, 330; IV, 584 sqq.

cendi, juvenes idoneos promovere, totius Universitatis decreta, leges, disciplinam confirmare, magistrorum mores inspicere, eorum saltem qui docendi munus in quibusdam ludis adepti erant quibus ipse erat præcipue præfectus, tandem auctoritate pontificali in omnibus rebus præesse eis qui in scholis aut doctores aut discipuli erant.

Jam vero antea philosophiam et theologiam, Petro de Alliaco favente, professus erat Gersonius in celeberrimo Navarræ seu Campaniæ collegio, in quo ipse artes didicerat. Quare, per totam vitam, quatuor vel quinque annos tantum a magisterio abstinuit, scilicet cum rebus ad concilium Constantiense pertinentibus impeditus est, quo studiosius Ecclesiæ inserviret, quæ, ea ætate, gravissimis schismatis difficultatibus laboraret.

Confecto enim concilio, cum ducis Burgundiae minis a Parisiis removeretur Cancellarius, Lugdunum petiit, ibique rursus pueris instituendis usque ad mortem deditus est. Namque, cum jam Cancelarii officiis incumbere non posset, nollebatque in monasterio Cœlestinorum, cuius frater erat prior, monachorum more, in contemplatione assidua vitam ducere, decrevit pauperum puerorum Iudum instituere et inter parvulos reliquos dies, docendo et orando, consumere (1).

Maxime enim eum juvabat *pueris*, ut ipse dicebat,

(1) De vita Gersonii, dum Lugduni habitat, cf. *Epistolam Fratris Johannis de Gerson, ordinis Cœlestinorum, directa Fratri Anselmo ejusdem ordinis, super opusculis Johannis Gerson Cancellarii Parisiensis.*

at Christum trahendis operam dare; præterea natura et indoles, totum denique ingenium, neenon viva et industria fides eum agebant ut in hoc studium totum se impenderet. Quo facilius intellegetur qua ratione assidua huic officio deditus esset, totam Gersonii vitam necesse esset accurate describere, tum privatam, tum publicam; cum autem jam ea res scriptis plurimis et insignibus pervulgata sit, maluimus in paucis ac singulis consistere unde propositum satis commendaretur (1).

Johannes Charlierus, qui postea tantum *Gersonii* nomen assumpsit, anno 1363, quarta decima die Decembris, in dioecesi Remensi natus erat.

Cujus pater Arnaldus Charlierus et mater Elisabeth Cardenaria agricolæ vitam honestam humilemque, in viculo vulgo *Gerson* dicto, Rhetelium prope, agebant.

Videtur Gersonius, e quibusdam operum locis, mediocri re familiari usus esse. Namque in Tractatu *De Virginitatis excellentia* (2), gallice scripto, in quo sorores hortatur ut a matrimonio abstineant, dum plurimis rationibus eas ad suam sententiam adducere conatur, hæc habet: « Quod si mecum reputo et unde ortæ sitis et quam minimas copias teneatis, neminem video vobis divitiorem aut saltem pari fortuna præditum, cum quo nubere possitis. Itaque si qua vestrum matrimonio conjuncta fuerit, ipsi et

(1) Cf. præsertim GUILLO : *De Johanne Gersonio, quatenus in arte politica valuerit*, atque opera Schawb, Thomassy, Schmidt, etc.

(2) Op. Gers., III, 831.

marito necesse erit, ut domesticarum rerum sustineant sumptum, quotidie et maximo cum labore, sive arando terram, sive mercaturas viles faciendo, victum ambobus comparare. »

Attamen scimus, quod Gersonius in alio loco ejusdem tractatus refert, fratres in animo habuisse bonis familiaribus se abdicare, quo abundantius sororibus opitularentur.

Fuerunt vero Johanni, ut ipse testatur, fratres vel sorores undecim :

Gerson origo fuit, advena voce sonans.
Dotavit Deus nos bissena prole : puellæ
Septenæ numero, quinque fuere mares :
Primus Theologus, Monachi tres, mortuus alter
Infans, et nupsit filia sola viro.
Frater Petre, rapit te mors et te soror Agnes
Infantes, vivit purus uterque Deo.
Egra Jabina soror vivens mala sustinisti
Jugiter : hinc moriens redditâ dona cupis,
Chara soror, Raulina vale, quæ commeruisti
Consors esse Jesu, cuius eras famula.
Hospita pauperibus et mystica Martha fuisti,
Te vocat inde Jesus, tu, Benedicta, veni (1). »

Omnes sorores et fratres antecedebat ætate Johannes et, dum vixit, maxime semper curavit ut eis debita morum exempla officiaque fraterna præstaret. Priusquam ceterorum educationi incumberet, operam dedit ut fratribus et præsertim sororibus, dictis, exemplis, scriptis prodesset.

(1) Cf. Op. Gers., III, 761, 765, 769.

Quare non semel, vita decursu, parentibus in augstiis propter durissima tempora versatis præstitit unde liberos alerent: imo, interdum in libris, questus est quod esset ipse pauperrimus nec posset parentibus, quantum vellet, opitulari (1).

Maxime tamen eis studiis, quæ pertinent ad mentem instituendam vel ad mores informandos, strenue Gersonius se toto animo dedit. Sorores enim amore quasi materno ad recte et pie agendum hortatus est. Quibus quidem multa et utilia misit opera, quorum, inter cetera, eminent *Tractatus de Mendicitate spirituali*, *Tractatus de Tentationibus*, *Tractatus de Virginitatis excellentia* (2), et tres vel quatuor libellos, in quibus declaratur qua ratione decem decalogi præcepta sint servanda, quodnam sit discriminus inter veniale et mortale peccatum, etc.

Præterea ad parentes, fratres, sorores plurimas epistolas versusque misit; quin imo, cum sorores ad virginitatem semper colendam hortaretur, eis demonstravit, magna cum industria et in septem articulis, qua ratione in futurum esset vivendum, quibus laboribus incumbendum, quæ scientiæ præcipue virginibus colendæ essent (3).

Existimabat enim Gersonius paternam omnem domum quasi debito jure fraudari, si fratres soro-

(1) Cf. Epistolam scriptam de *Causis propter quas Cancellarium dimittere vellet*. Op. Gers., IV, 725.

(2) Cf. Op. Gers., III, 805 sqq.

(3) Temerarium quidem esset ex his tractatibus universam puellarum instituendarum rationem confidere, cum Gersonius ipse fateatur hos libellos eo animo tantum scripsisse ut sororibus de rebus earum privatim consilia præberet.

resque scientiam suam ac prudentiam non participarent. Cujus firma ac constans opinio fuit familiarem domum esse rem sanctam et inviolabilem, atque inter parentes et liberos, inter liberos ipsos necessarium esse vinculum. Qua de re hæc sororibus scripsit initio *Dialogi spiritualis*: « Quoniam parentes optimi, pater ac mater, rei domesticæ jacturam facere non dubitaverunt ut ego primogenitus scripturas edocerer, necesse est vos quoque inde lucrum faciatis bonaque paterna participetis. »

Natura igitur benigna et provida, statim a puero, Gersonio viam aperuerat qua ei liceret incedere, cum vellet instituendorum hominum officiis se tradere.

Idem nihil omisit eorum quæ ad se pertinebant. Conatur enim, quantum potest, etiam a prima ætate, omnes virtutes colere. Pius in parentes, in pares officiosus, in omnes amœnus, tanta denique morum suavitate ceteros superavit, ut vicini simplici sincebraque lingua solerent eum vocare : « Dilectissimum Deo puerum. »

Ad quam mentem parandam atque informandam mater plurimum contulit. Johannes enim noster, ut plerique eorum qui ex humilibus parentibus orti sunt, matrem presertim maxima pietate coluit. Quoties de ea scribit, solet comparisonem instituere inter ipsam et illam benignam ac venerandam sancti Augustini matrem, sanctam Monicam.

Apud plebem enim mater cum liberis societate arctiore conjungitur, cum inter eos et ipsam neque famulus intersit, neque nutrix, ne pater quidem, qui plerumque cogatur domo interdiu abesse, ut quoti-

dianum victum omnibus præbeat; ita ut, si quis quæsierit qua ratione Gersonius a matre fuerit institutus, multa sane invenire possit indicia, quibus declaretur muliebris disciplina. Femineum est enim illud studium tenerrimum, quo omnes miseros postea, et præsertim parvulos, prosecutus est; feminineus quoque et quasi maternus hic sedulus amor quo eos allocutus est, cum Lugdunum, labente vita, recessisset : « Venite, fidentes, nullæ viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba. Communicabimus multo bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro : ego vobis doctrinam, vos mihi orationes impendetis; imo orabimus pro invicem ut salveremur (1). »

Qua materna institutione didicit quoque Gersonius quanti pretii esset hominis vita et quanti referret, tum ad officia mere naturalia implenda, tum ad salutem supernaturalem obtinendam, nullum diem in otio consumere, sed contra et se et alios ad virtutem colendam incitare. Christiano enim vivere non est mera voluptas aut oblectamentum, sed munus grave exsequendum; et a Gersonio ipso accepimus matrem, maxima diligentia, operam dedisse ut filius, a puerō, his sententiis educaretur.

Qua de re ea relatu digna legimus, in opusculo de *Vita Gersonii* scripto : « Uterque vero parens nihil quotidie filio tantopere frequentabant, quam omne datum optimum et omne donum perfectum a patre

(1) *Tractatus de Parrulis ad Christum trahendis.* Op. Gers., III, 289.

luminum descendere : unde quoties Charlierus poma, ficus, nuces aut crepundia aliqua habere desiderabat, ea prius, orando Deum, ab optimis parentibus emere cogebatur, qui interim filiolο (ipso orationis aestu abrepto) de fenestra aliqua, solario vel camino, quæ petebat, abunde largiri atque effundere, hisque insuper verbis illum magis ac magis ad pietatem incendere solebant : Vides, dilecte fili, quam bonum sit orare Deum qui talia confert orantibus (1). »

Ea vero in disciplina etiam quæ ad mentem crudendam et ornandam sunt utilia suam partem obtinuerunt. Quamvis enim indocti essent plerique rusticorum qui, hæ ætate, vixerunt, Gersonii parentes satis docti fuisse, pro tempore et conditione videntur. Mater certe litteras et elementa grammaticæ non nesciebat, cum Gersonius declararet eam filio Nicholao scripsisse « epistulas sancti Augustini matre dignas (2). » Præterea prudenti judicio et sana mente fuit, pro rustica femina, quæ cum marito operam daret ut pie et liberaliter filius institueretur, nec unquam illum pateretur « anilibus fabellis aut ludicris recreari, quibus pueri solent a nutricibus adlaetari (3) ».

Cum jam quatuordecim aut quindecim annos esset natus Gersonius, Lutetiam Parisiorum profectus est,

(1) *Vita Gersonii ex ejusdem operibus collecta.* Hoc opusculum, quod insertum est Francisci Suarez operibus (*Defensio Fidei Catholica*, Coloniae Agrippinae, in Officia Birekmannica, anno 1614, sejunctum est ex Joannis Gersonii operibus (Parisii, magna navis, 1606).

(2) Cf. Op. Gers., III, 745.

(3) *Vita Gersonii...*, loco citato.

et, in collegio Navarræ, artium societati, tanquam *bursarius*, ut dicebant, primum est adscriptus. Ibi Petrum de Alliaco, virum doctissimum et illustrissimum (ut qui ex nobilissima gente Alliaca Picardie oriundus esset), praceptorum habuit; qui, eo tempore, Collegii Navarræ erat moderator, Parisiensis Universitatis Cancellarius, et postea Caroli V, regis Francorum, confessarius fuit, sacrosancti sacelli Parisiensis Thesaurarius, Cameracensis episcopus: quo cum brevi Gersonius societate familiari et arctissima amicitia conjunetus est (1). Statim studio ardenti et immoderato indulxit puer; *baccalaurei* dignitatem adeptus, Licentiam in Artibus, anno 1381, obtinuit, ad Theologiam, anno 1382 (2), accessit, quam sex vel septem annos, Petro Alliacensi docente, audivit. Mox ipse docere cœpit et in colloquiis Universitatis magna auctoritate concionari.

Statim enim ab adulescentia juvit eum ceteris prodesse viresque in publica commoda consumere. Namque quamvis rebus religiosis esset deditus, numquam putavit Christi doctrinæ esse hominēs cogere ut voluntate propria et munere fratrum sublevandorum omnino sese abdicarent. Multum et doctissime de *Vita contemplativa*, ut ipse dicebat, scripsit, quibus non semel monachorum mores laudavit; semper tamen declaravit periculum magnum sibi videri hoc tranquillum et inane vivendi genus, quo fruerentur interdum reliogosi qui, sub specie

(1) Cf. L. Salembier, *Petrus de Alliaco*. Lille, 1886.

(2) Cf. Launoy, *Historia Collegii Navarræ*.

umbratilis vitæ, in otio sapientius dies consumerent. Vivus contra et acer oportet sit animus Christi doctrina institutus, cum ipsa *contemplatio* ad agendum, non ad otium prompta sit. Itaque noluit unquam Gersonius nomen dare alicui religiosa societati et, cum abdicatis Cancellariatus officiis, Lugduni, apud Coelestinos, vitam finire decreverit, quanquam frater ejus Abbatiae erat Prior, usque ad mortem sui juris et mancipii esse voluit.

Gravissimum quidem officium putat, ab ipsa Providentia sibi delatum, cum hominibus conversari et interesse, ut eos, qui ignorari sint, doctrina et exemplis illustret, eorum vias dirigat aut miseriis opituletur (1). Quare, dum in collegio Navarræ studet, omnes scientias et artes tanto ardore coluit, ut brevi, inter discipulos et apud magistros ipsos, maximam auctoritatem sibi conciliaret. Qui discendi ardor, dum vixit, nunquam refriguit, adeo ut mirum sit quanto labore, quot vigiliis ei necesse fuerit incumbere, ut tot et tam varias, sive politicas, sive civiles, sive ecclesiasticas causas, orando, scribendo, docendo sustineret. Cujus operum latine scriptorum summa quinque immanibus voluminibus vix continetur, et præterea multos et copiosos tractatus, sermones, dissertationes, gallice composita reliquit, quorum nonnulli nondum editi sunt. Omni genere scientiae, litterarum, artiumque insignis fuit, oratione soluta versibusque usus est; de theologia,

1 Cf. *Tractatus de Parrulis Considerationem III^{am}.* Op. Gers., III, 286.

philosophia, astrologia multa et eruditissima pro tempore, consignavit (1). De utroque jure, civili scilicet et canonico, disseruit (2). Omnes errores, omnes doctrinas falsas aut dubias refellere, profligare conatus est (3). Quibus quidem exemplis, quantum ejus fuerit, etiam a puerō, scientiæ amor satis perspicuum sit : ceterum ipse nos certiores facit quanta alacritate, cum adulescentulus erat, omnibus scriptoribus, sive profanis, sive religiosis studuerit. Quin imo fatetur se non semel levioribus scriptis allectum fuisse, cuius erroris postea eum pœnituit : « Memini me pridem gustasse, jam ab adulescentia, Boetium, Terentium, Juvenalem, Alanum et de Saneto Amore, Abelardum cum sua Heliode, Marciannum Capellam, etc. (4). »

Quæ quidem opera maxime probata fuisse videntur omnibus juvenibus qui, medii ævi tempore, in collegiis studuerunt, cum scriptores sæpe ea transtulerint aut versibus illustraverint (5). Præsertim tamen gra-

(1) Cf. Op. Gersonii, *passim*.

(2) Quorum tractatum præcipui sunt : *Recommandatio Licentiundorum in Decretis facta Parisiis*. Op. Gers., IV, 686 ; — *Collatio pro Licentiandis in Facultate decretorum*. Id., IV, 693 ; — *Alia collatio pro Facultate Decretorum*. Id., IV, 703 ; — *De Concordia Metaphysicæ cum logica : Dialogus cordis, Conscientiæ, Rationis et quinque sensuum*, etc. IV, 830 sqq.

(3) Cf. *Trilogium Astrologiæ theologizata*, scriptum anno 1419. Op. Gers., I, 189 ; — *Tractatus contra Superstitionem dierum observationem*. Id., I, 203 ; — *Opusculum adversus doctrinam ejusdem Medicis Montis Pessulani sculpentis in numismate figuram leonis cum certis caracteribus, pro curatione renum* ; — *Tractatus de erroribus circa artem magicam et articulis reprobatis*. I, 210, etc.

(4) Op. Gers., III, 296.

(5) Johannes de Meung, anno circiter 1284, transtulerat in galli-

viores illos antiquos scriptores colit, quorum sententiis exquisitissimis omnis etatis clarissimi et doctissimi viri mentem et ingenium aluerunt. Platonis opera novit, cuius doctrinis saepe sua scripta ornavit et commendavit; majore tamen usus est familiaritate cum Aristotele qui, apud omnes Medii Aevi doctores, tanquam dicendi ac docendi magister reputaretur. Insuper libentius Ciceronem citat, Senecam, Vergilium aut eorum sententiis alludit, utpote qui diuturna societate cum eis familiariter coniunctus sit.

Quanquam vero eo cultu et amore veteres prosequitur, recentiores tamen, maxime christianos doctores, majore reverentia legendos proclamat. Quare, sive cum in collegio Navarrae profitebatur, sive cum in Ecclesia Sancti Johannis in Gravia parochi vices sustinebat, haud semel consilium inivit summam doctrinarum christianarum e Patribus aut Ecclesiae

cum Epistolas Abelardi et opus Boetii praestantissimum de *Consolatione Philosophiae*. Johannes Gersonius, ut plerique medii aevi scriptores atque oratores, Boelium saepe maximis laudibus coluit, ejusque exemplo plurima scripsit opera quae de rebus Theologiae aut philosophiae oratione soluta et versibus illustrata tractabant; quorum fuit illa *Collatio* cuius meminit Gersonii frater Coelestinus, in *Annotatione opusculorum Johannis Gersonii*, cui inscriptum erat: *Collatio in primo cursu Theologiarum Parisiensis in Regali Collegio Navarrae, et consequenter in secundo, ac deinceps in quadripartito libro sententiarum, et tandem in magisterio, anno ejus circiter XXXII, sumpto super hoc themate: Quesivi sponsam, etc., sub metaphora mypterum Theologi cum Sapientia, in modum Dialogi, per prosus et metra, more Boetii de Consolatione, mixtum procedendo.* — De Abelardo, Cf. Abelardi opera et Heloyse ex editione Francisci Ambroësi, cum ejus operatione. — *Lettres d'Héloyse et réponses d'Abélard*, Amsterdam, 1694; — *Lettres d'Héloyse et d'Abélard* mises en français, p. V. DE BEAUCHAMPS, 1714, 1717.

doctoribus exsceptarum conficiendi, qua pueri et adulescentes, tanquam scientiae divinae breviario uti possent (1). Qua in re, multum differt Gersonius ab Enea Sylvio cuius postea librum de *Liberorum educatione* memorabimus; ille enim, ut qui litterarum Graecarum Latinarumque studio sit incensus, antiquos scriptores maxime a pueris colendos vult (2).

Gersonius vero Sancti Augustini, Sancti Hieronymi, Sancti Bernardi et divi Thomae doctrinis enutririri solet; declarat tamen Sanctum Bonaventuram omnibus praesesse, tum ob sententias exquisitissimas, tum propter inflammatos pietatis affectus (3). Præterea e sacris scripturis, tanquam e fonte quodam sacro et inexhausto, quotidianum mentis victum trahit, maxime ex Evangeliiis, Psalmisque (4), adeo ut plerumque, dum disserit aut concionatur, omnes fere

(1) Cf. *Sermonem de Officio Pastorum in Concilio Remensi*, Op. Gers., II, 549; *duas Epistolas... Brugis scriptas, 1400, de Reformatione Theologiae*, Op. Gers., I, 123.

(2) Cf. Op. Gers., I, 103, ubi Gersonius eos increpat qui in ludis, christianos scriptores deserunt, ut profanis philosophis aut poetis incumbant.

(3) Inter Bonaventuræ opera maxime libellum laudat cui inscribitur *Itineratio mentis ad Deum*, quem declarat « omni laude superiorem »; quare indignatur quod studentes, novis Scotistarum libris allecti, Sancti Bonaventuræ doctrinam neglegant: « Nec admirari sufficio, inquit, qualiter Patres et fratres minores, dimisso tanto doctore qualem nescio si unquam studium Parisiense habuerit) converterunt se ad nescio quos novellulos, pro quibus parati sunt pedibus et manibus decertare. » Op. Gers., I, 91, Cf. etiam I, 21.

(4) Cf. Op. Gers., IV: *Meditationes devotas super psalmos puritiales*; *Tractatum super Cantica Canticorum*; *Lectiones duas perutiles super Marcum*; *Collectorium super Magnificat, Carmina super Magnificat*, etc.

sententiae et ipsa verba quibus utitur e Biblia de-prompta sint. Neminem praeter Sanctum Thomam et Bossuetum novimus, inter ecclesiasticos doctores, qui magis quam Gersonius Scripturarum scientia polleret.

Argumentum vero præclarum amplissimæ Gersonii eruditionis fuit hæc celeberima de Sancto Ludovico collatio quam, coram magistris ac discipulis totius Universitatis studii Parisiensis habuit, anno 1388, cum *baccalaureus* tantum in Theologia esset (1). Ibi enim citantur plerique Græcorum Latinorumque poetæ, oratores : Horatius, Claudio-nus, Vergilius, Terentius, duo Senecæ, etc.; multi quoque inter recentiores scriptores relatu digni memoran-tur, ex quibus Petrarcha primum locum obtinet. Cum in ea oratione de officiis regum præsertim agatur, quicumque, apud antiquos, scientia regiminis aut virtutibus politicis valuerunt, in exemplum et ad edificationem regis Galliæ trahuntur : Manlius Torquatus, Scipio Africanus, Gallio, Trajanus, inter Latinos, cum Alcibiade, Philippoque, Græcis, componuntur, ut ipsorum fama rem illustret et audien-tes, scientiæ apparatu, attonitos efficiat (2).

Eodem fere tempore, Gersonius, quanquam vix quinque et viginti annos erat natus et nondum ad majorem licentiaæ in Theologia dignitatem promotus

(1) Cf. Op. Gers., III, 1457 : Hujus orationis thema fuit : *Domi-nus regnavit, decorem indutus est.*

(2) Vide etiam (Op. Gers., III, 1440) alterum Sermonem elegan-tissimum, *historiis Titi Livii, Valerii Maximi sententiis Tullii et Senece respersum, in festo sancti Ludovici Regis Francorum habi-tum*, ubi eruditionis et litterarum apparatus insignior invenitur.

fuerat, ob præclaram in rebus theologicis scientiam, in gravi de Immaculata Conceptione discrimine, tanquam ipsius Universitatis orator implicatus est. Monachus quidam, Johannes de Montisono, Dominicanorum societati aggregatus, Patrum exemplis strenue compositis, doctrinam a Franciscanis, seu Fratribus Minoribus, propagatam impugnaverat, qua scilicet Dei mater a labe originali præservata declararetur. Res primum Theologiae facultati delata est, quæ Johannis de Montisono propositiones condemnavit eumque jussit adesse in Doctorum ac Theologorum conventu, qui de doctrina heretica publice pronuntiarent. Dies sexta Junii 1387 indicta est. Adsuit Johannes de Montisono, propositiones defendit magna cum pertinacia et retractare noluit. Doctores causam ad Universitatem et Parisiensem episcopum detulerunt, statutumque fuit ut nonnulli doctores insigniores, inter quos Petrus Alliacensis, Egidius de Campis Avenionem peterent, judiciumque sollenne a Clemente VII papa de re postularent. Quibus accessit Gersonius. Quid vero in hoc negotio gesserit, incertum est. Quiquid id est, post brevem contentionem, Johannes de Montisono a papa condemnatus est et excommunicatus.

Paulo ante, anno 1386, in alio negotio unanimiter a discipulis electus fuerat Gersonius ut studentium partes sustineret, cum cancellarius Universitatis ab iis qui ad gradus diversos promovendi erant, pecuniam exigere vellet. De quo fusius dicemus, cum sermo erit de studio quo Gersonius studentium partes defenderit. Ob easdem rationes, cum studebat

artibus, a sociis Navarræ Collegii « honorandæ nationis Gallorum » procurator electus fuerat.

Quibus quidem laudibus manifestum sit, non solum quantam auctoritatem apud discipulos et magistros sibi conciliaverit, sed etiam quanto studio etiam tunc conatus sit, ut ad docendos et instituendos ceteros se promptum redderet.

Non enim tantum Gersonio inerat hic generosus amor, quo natura nobilis ad magna et elata incitari solet, sed imprimis eo ardore quo alitur animus sincere religiosus incendebatur. Solebat enim de se dicere hæc verba Sacrae Scripturæ : « Zelus domus tuæ, Domine, comedit me. »

Quare tam religionis impulsu, quam ingenio et litterarum studio ad pueros educandos adductus est. Qua de re certi fieri poterimus, si opus præcipuum (1), quod scripsit de parvulis educandis, legerimus; non enim doctos tantum adulescentes efficere vult, sed bonos viros, omnibus virtutibus civilibus et domesticis præditos, et maxime christianos viros, lege evangelica informatos. Cum sit ipse, ut ait, « alumnus in Christo », conatur præbere pueris, qui ipsi committuntur, eam sacram disciplinam quam a parentibus christianis edoctus est : non suam, inquit, sed Christi doctrinam, tradit. Hæc enim habet, in initio *Tractatus de Parrulis trahendis ad Christum, cuius thema sunt hæc Christi notissima verba : Sinite parvulos ad me venire* (2). « Supremus Legislator noster et

(1) *De pueris trahendis ad Christum*. Gers., Op. III.

(2) MATTH., XIX, 14.

Doctor Christus, sufficientem præbuit instructio-
nem, tum doctrinis, tum operibus et exemplis, ad
universalem Ecclesiæ decursum, pro omni flatu et
gradu regulandum : ita enim recta Fides habet, et
quoniam portio Ecclesiæ non vilis est puerorum et
adulescentium cœtus, noluit idem Christus, ipsos
absque congruis institutionibus prætergredi ; quin
etiam aliquorum tunc pæsentium et omnium, per
hoc, futurorum minus benevolam indignationem,
vel insipientiam rudem, vel altam plus quam satis
erat, inflatamque sapientiam compescuit eorum qui
prohibebant sibi parvulos offerri, comminando offe-
rentibus : *Sinite... etc.* (1) »

Igitur, quo efficacius Christum imitetur et opus
Evangelicum perficiat Gersonius, puerorum insti-
tuendorum munus amplectitur. Videtur ei hoc nego-
tium omni cura dignum, cum sit quasi culmen totius
christianæ ædificationis, nec non in eo maxime con-
stet opus eximum animi religiosis rebus incensi ;
inter enim cetera sacerdotum officia hunc præci-
puum habet « zelum parvolorum animarum (2) ».
Namque non eum fugit, quot et quantis discriminib-
ibus omnis generis obnoxii sint, qui in ludis stu-
dent, præsertim si pauperes aut juniores sint. Multis
et periculosissimis modis ad malum quotidie trahun-
tur, sive propter nimiam et incautam curiositatem :
« Parvuli dira fame spiritus excruciat petunt pa-

(1) Op. Gers., III, 277.

(2) « Nullum esse Deo acceptius sacrificium quam zelum animarum. » Dictum sancti Gregorii a Gersone sæpe relatum. Cf. *Tractatum de Parvulis...* Consideratio III^a.

nem et nemo erit qui frangat eis (1) » ; — sive propter pessima colloquia quibus quotidie intersunt, et doctrinas perditas quibus, cum sint incauti nimis, facile corrumpuntur : « Tot quotidie pessimis colloquiis urgentur ad malum, et nullus ultiro contradicit (2). » Maxima tamen ruinae occasio ea est, quod saepe a pedagogis aut magistris aut interdum a parentibus ipsis, parvuli exempla pessima vitti trahunt : « Adde quod multorum parentum et magistrorum cura, vel nulla, vel ultima est de parvulorum suorum moribus et eorum disciplinata custodia (3)... Ponuntur ante oculos suos talium operum dictorumque nefandorum exemplaria, immo et picturarum ignominiosarum et scripturarum lascivarum simulacra, ad quae adspicientes, quid non nisi praviter operentur? Audi Satiricum : *Velocius et citius nos corrumpunt exempla domestica, magis cum subeant animos auctoribus (4).* »

Ex tanta autem corruptione morum fit ut homines, statim a pueris, corrumpantur, nec possint, cum adoleverint, ab ipsis erroribus retrahi, quia, ait Gersonius, verba Seneca referens, quae fuerant vitia, vi pravae consuetudinis mores jam sunt : « Si consuetudinis virtus attenditur, quae ab Aristotele vocatur

(1) *Tractatus de Parvulis...*, loco citato. De studentium miseranda sorte, cf. TARSOT : *Les Écoles et les Écoliers à travers les âges*, p. 110; Jacques DUBREUIL : *Fastes et Antiquités de Paris*, 1605.

(2) *Ibid.*, loco citato.

(3) *Ibid.*, Op. Gers. III, 281.

(4) *Ibid.* Vide etiam Gersonii *expostulationem ad potestatem publicam adversus corruptionem juventutis per lascivas imagines et alia hujusmodi*. Opera, III.

altera natura, perspicuum erit nihil mala consuetudine onerosius, amarius atque deterius; et bona consuetudine, nihil facilius, suavius, diviniusque. Propterea consentiunt philosophi omnes et poetae, cum theologis, non parum referre juvenes sic, vel sie, assuesiri : *ad eo in teneris assuescere multum est*, ait Vergilius. Hinc jubet Tullius optimam formam vivendi eligendam esse, quam mox jucundam reddet consuetudo : *Quod male fers, assuesce, feres*; ait et Flaccus :

Fingit equum docilem tenera cervice magister (1.) »

Itaque quanto dolore eos insectatur, qui negant pueros bonis moribus esse instituendos, quia sint postea in deterius lapsuri! « Si maximam vim consuetudinis perversæ leges et sacrilegæ superstitiones ostendunt, ut Averroës commemorat, similiter et vitiosi mores, prout consequitur Augustinus et aliorum plurimi; quis dubitabit assuefactionem in vera religione et castis moribus plus habere virtutis quando adjungitur et opitulatur, sicut prædiximus, gratiæ divinitus inspiratæ præpotens auxilium (2)? »

Perditorum igitur hominum est odiosum illud dictum, quo adulescentes plerumque utuntur ut vitia foedissima excusent :

Angelicus juvenis senibus sathanizat in annis.

Si enim, redarguit Gersonius, juvenis angelicus *sathanizavit* in senectute, quid de puerō, in juventute

(1) *Tractatus de Parrulis...* Op. Gers., III, 279.

(2) *Ibid.*, Op. Gers., III, 279.

jam *sathanizante* « quando perversis inclinationibus accesserit perversior consuetudo (1)? »

Maxima quidem miseratione et animo paterno amplectitur hos corruptos parvulos quibus jam « datur inverecunda frons », quorum animæ statim ab ineunte ætate, sunt « infixæ in limo profundo..., vitiis obruta,... catenatæ peccatis, vincetæ in mendicitate, in ferro ». Qui vitiis obstare conantur a consociis irridentur et, cum diu concupiscentiæ restiterint, plerumque perditissimi pueri risu vincuntur, ita ut sæpe verbo tantum aut nutu, parvulus, ex casto et puro vitiosus in totam vitam efficiatur, quia, ut recte animadvertis Flaccus, « talis quilibet est cereus in vitium flecti, et, dum semel corruptus est, non æque leviter ad virtutis formam et characterem reducitur (2) ».

Cum hæc scribit jam senescit Gersonius et inter Lugdunenses pueros vivit; meminit quoque se, olim Parisiis, in confessionibus privatis, vel ipsa vitiorum publica notitia, sensisse quam profunda et ixexhausta esset morum corruptio.

Ne Gersonium quidem hujus labis expertem fuisse forsitan credideris si ad litteram acceperis ea quæ dicit cum se peccatorem esse sæpe declarat. Nonne semetipsum inter hos peccatores numerat, quibus delictorum misericors Deus veniam concessit? « Potens est Deus eos (peccatores) stabilire, *sicut me fecit* post tot lapsus (3). » Imo voce *Pœnitenti*, dum

(1) *Tractatus de Parvulis...* Op. Gers., III, 279.

(2) *Ibid.*, Op. Gers., III, 280.

(3) Op. Gers., III, 156.

vixit, tanquam themate in multis operibus usus est, quam vocem voluit post mortem in tumulo inscriptam esse.

Nemini tamen dubium videtur quin Gersonius, etiam a prima ætate, omnes virtutes et exquisitissimas coluerit, nedum in vitia lapsus sit. Quam vero pura et integra fuerit ejus vita certiores facile erimus si ea quæ scripsit, vel egit, solo veritatis studio inspexerimus. Illæ sane quas memorat culpæ fuerunt nihil aliud præter levia ista peccata quibus omnes homines, etiam maxime constanti virtute confirmati, naturæ ipsius imbecillitate obnoxii sunt, quæ forte Gersonius sepius sensit, cum ea vitare nimis curaret. Etenim agnoscit ipse quanto detramento plerumque sit sanæ animi valetudini scrupulosius culpas investigare vel corpus nimia severitate regere (1).

Ceterum non necesse erat in se talia sensisset Gersonius, ut vitiorum omnis generis spectaculo moveretur. Horrendum enim et in aperto erat malum præsertim in rebus quæ ad ludorum scholarumque disciplinam spectabant; periculum erat ex ipsa studentium egestate, qui plerumque cogerentur labore viliore et mercenario sibi parare unde vivere possent; periculum ex doctorum subtilissima eruditione, qui disputationibus vacuis tempus consumerent; periculum denique maximum circa mores cum corruptelæ damnum magistrorum et prælatorum impudentia cresceret (2).

(1) Cf. Op. Gers., II, 772.

(2) Cf. Op. Gers., III, 119, ubi omnes istæ calamitates præsertim depictæ sunt.

Gersonius autem jam pridem intellexerat in quantis diseriminibus societas civilis ipsa, sed præsertim ecclesiastica, ea rerum perturbatione implicaretur, nec dubitaverat omnium, maxime principum, mores pessimos palam, tum sermonibus, tum scriptis, corripere (1). Non ea quidem verborum amara vituperatione usus est, qua Nicolaus a Clemengis, amicus atque æqualis, in satyrico libello qui de *Statu ecclesiæ corrupto* inscriptus est, cum simoniam, avaritiam, impudicitiam aliaque prælatorum vitia insequeretur, sed sinceriore forte veritatis amore ac puriore ecclesiæ reformandæ studio. Senserat enim societatis mala non ferro aut aliis istius modi remediis esse sananda, sed nova et integra hominum institutione. Quare existimabat, cum se totum pueris educandis daret, ecclesiæ ac societati maxime prodesse, ac magis conferre huic morum reficiendorum operi, quam si sermonibus aut doctissimis collationibus incurrentibus undique malis obstaret. Opinabatur enim ob magistrorum præcipue neglegentiam et corruptionem omnia vitia toti societati incidisse, et, cum depingeret in quot et quantis periculis versarentur qui a pedagogis hujus temporis educarentur, graviter hæc addebat : « Sed vere quales ex talibus parvulis prodeant viri atque senes, præsentit nimium christianitatis quotidiana calamitas... Non fallebatur ergo qui affirmavit reparationem morum ecclesiastorum, si quæratur fieri, inchoandum esse a parvulis. Quia eam minus corrupti, minusque tenaciter

(1) Cf. Op. Gers., II, 314; 408; 693, etc.

infecti sunt: capaciores inveniuntur doctrinarum salubrium : etsi hoc fortassis non satis ad prosecutum... Parvuli quippe apti sunt ad accipienda studiorum exordia, quando nondum falsas opiniones altius imbibentur, quando nondum radicitus harent perniciose adinventiones in eis. Utres sunt recentes pro liquoribus optimis (1.) »

Jam antequam Lugduni hæc scripsit, in pæclaro Remensi concilio, anno 1408 habito, declaraverat Gersonius quanta largitate esset opitulandum iis qui in pueris adulescentibusque instruendis atque educandis vitam consumebant, quod Ecclesiæ reformatæ maxime prodessent : « Ecclesiæ siquidem reformatio (sicut quidam ait) debet inchoari a parvulis, quoniam ejus deformatio venit ab eis prave et nequier institutis. Quamobrem fiat, sicut pætactum est, provisio sufficiens pro Magistris, fiat pro pædicatoribus idoneis, si sint seculares, de pæbendis... Itaque, si procuratoribus, si advocatis, si aliis pæticantibus assignantur sedulo pensiones certæ et magnæ, quamvis aliunde lucentur; qualiter non absurdum erit, non magis hoc fieri pro laborantibus gratis ad spiritalem ovium dominicarum nutritiōnem, dum exercent officium quod de necessitate monstravimus annexum esse pastorali dignitati (2.) »

Ob easdem rationes cum mores Ecclesiæ reficiendos maxime curet, vult Gersonius magistros operam dare ut, pæ ceteris, adulescentes qui in Universi-

(1) *Tractatus de Parvulis...* Op. Gers., II, 280.

(2) Op. Gers., II, 549.

tate Parisiensi studeant, majore diligentia et cura instruantur, quod sint « per universalem christianitatem dispergendi, aliorumque doctorēs instructoresque commodissimi maxime domesticorum futuri (1) ».

Quibus causis si addideris quod Gersonius parvulorum blanda et suavi gratia alliciebatur, ceteros docendi et educanti studio trahebatur, cum etiam vellet se humilem inter dignitates præbere, facile intelliges cur puerilis institutionis officiis maxime incubuerit, nihilque utilius judicaverit, cum totam vitam in honoribus gessisset, quam institutoris partes usurpare, atque inter pueros usque ad mortem commorari.

De quibus rationibus totam *Tractatus de Parvulis trahendis ad Christum considerationem quartam* (2) scripsit, in qua Cancellarius suam causam egit, contra eos qui eum increpabant, quod huic officio humiliori indulgeret. In eo loco omnes convincere conatur se, in hac re, nihil neque prohibitum, neque indignum operari, sed simul et amorem quo Ecclesiam colit, et suæ indolis propria studia conjungere. Itaque quo se efficacius defendat, non solum Christi exempla refert, sed etiam doctorum virorum antiquorum et ipsius Socratis, qui « non erubescet post curas publicas laxare animum ludendo cum parvulis, arundine etiam cruribus supposita »; deinde Tullii auctoritate utitur ad probandum quam necesse sit,

(1) *Tractatus de Parvulis...* Op. Gers., II, 280.

(2) *Consideratio quarta de apologetica pro baculo defensionis meæ.* Op. Gers., III, 285 sqq.

iis qui in dignitatibus sunt, interdum ad humiliora descendere, ne, nimis sua conditione elati, efferantur aut superbiæ cedant. Amœnum quidem simulque triste est quod tantus ille vir cogatur ab æqualibus quasi veniam petere, quod parvulis teneriore animo opituletur, et, cum ceteri vanis aut mercenariis rebus sese dedant, indignitate et vanitate ille ab istis arguat!

CAPUT SECUNDUM

QUE AD CORPORIS NECESSITATES PERTINENT QUOMODO
GERSONIUS CURAVERIT

Eam legem habet Gersonius, tanquam principium et fontem omnis perfectae puerorum institutionis, homines non solum scientias et artes mere naturales esse docendos, sed præsertim omnes ad regulas et præcepta christianaæ religionis informandos.

Omnino enim decebat sacerdotem ita sentire, maxime cum, eo tempore, christiana lex omnium animos moresque, publicas atque privatas constitutiones regeret. Namque, quemadmodum Theologia omnium doctrinarum summa a doctoribus reputabatur, ita vita humana, cui virtutes supernaturales accederent, solum perfectum vivendi genus habebatur.

Quicumque vero homines ea ratione instituere decreverit, ea quæ ad quotidianas necessitates pertinent, ut vilia aut saltem leviora facile negleget. Itaque præceptor christianus neque in negotium aliquod, neque in meritoria artificia juvenem instituat; sed contra conetur puerorum mentes ad sublimia erigere, voluntates ad virtutes supernaturales colendas incitare. Quapropter si de pueris plebeiis agitur,

præsertim ea quæ sunt fidei edoceantur : sciant primum manuscripta sacra legere, ut Sanctas Scripturas possint addiscere. Quod si interdum licet eos scriptores fieri, magis ea ratione fiat, ut operi perutili et quasi sacro incumbant, quam ut pecuniam et luerum inde sumant. Nemo vetabit eos, quantum poterunt, doctrinas profanas, mathematicam artem, litteras acquirere; sed quidquid etiam in his studiis discet puer, ad scientiam sacram referatur et ad mores bonos præsertim conserat : « Sit in qualibet parochia, ait Gersonius, cura specialis juxta sacros canones, de instructione parvolorum, *præsertim in monorum disciplina*, secundum primitiva nostræ religionis rudimenta (1). »

In studiis quoque Universitatis litteræ sacrae præcipuum necessario locum obtineant, cum Theologia ab omnibus ceterarum doctrinarum domina laudetur ; itaque Logica, Metaphysica, Astrologia, omnes denique scientiae quibus Artistæ instruuntur, nulla vi, nullo pretio reputabuntur, nisi studentium mentes promptius ad mysteria divina investiganda promovebunt.

Medicinae profecto ac Decretorum facultates jam eo tempore nec dignitate nec honore carent ; omnes tamen magistri et discipuli eas pro Theologiæ facultatis mini stris ac famulis ducunt quæ, timido pede, post reginam incedunt. Qui illi præclaræ Doctorum ac Theologorum societati addicti erant, cum ceteris

(1) *De officio pastorum*, in Concilio Remensi... op. Gers., II, col. 549.

plures essent ac magnam doctrinæ speciem præ se ferrent, necessario apud plebem ipsam majore reverentia fruebantur, magistrosque, qui litteris profanis dediti erant, libenter contemnebant.

Cum ea docendi ratio pæne universa esset eam improbare non potuit Gersonius, qui quidem longa meditatione et ipsa rerum experientia persuasum haberet ea disciplina utendum esse omnibus qui ceteros instituendi munus acceperant, cum esset forte omnium ad mores informandos aptissima atque maxime valeret ad totam vitæ rationem tute ac digne componendam.

Quamvis enim inane ac vacuum videatur juvenes ea ratione instituere, ubiores tamen ac jucundiores fructus inde percipere possit qui hanc disciplinam sano judicio intelligat. Namque, ut ipsi Gersonio videtur, qui prudens est semper, dum aliquem religiosa disciplina instituit, meminisse debet homines ad supernaturalia evehi non posse, nisi primum in ipsa natura nitantur; quare præceptor christianus si, dum ad virtutes sublimiores tendit, demissiora studia neglexerit, in pessima vitia facile labetur, et, cum discipulos doctrinis elatissimis instruere voluerit, saepius mores odiosos eis inscius præbebit.

Fatetur Gersonius se ipsum sensisse quantum detrimentum sive corpori, sive menti oriatur interdum eis qui intemperate rebus religiosis indulgent, præsertim cum sint indolis scrupulosæ ant imbecillioris animi : « Solet zelus Domus Dei, præsertim dum est novitus, homines bonæ voluntatis comedere, hoc est urgere, ut omnia quæ conspiciunt

vitiorum scandala satagant vel tollere, vel culpare, vel ceteros ad ablationem acriter animare... Verum evenit quod, post experientias varias, post irritos conatus, post agnitam humanitatis abyssum inexhaustibilem, temperatur et mollescit iste fervor bullienti musto similis, et quo maturior eo sanior efficitur; mitigatque tribulationis aqua vinum nimis servidae charitatis. Porro non negaverim me, prioribus annis, zelum hujusmodi qualemcumque sensisse; sed, quam frequenter fuerit non secundum scientiam, me docuerunt exitus (1). »

Cum immoderate non semel rebus religiosis deditus esset adulescens Gersonius, atque inde sibi damnum aliquod attraxisset, injustum tamen esset inferre eum, dum pueros instituit, in eosdem errores incidisse. Quamvis enim indole et natura, etiam cum senuisset, ad *contemplandum* potius quam ad agendum esset constitutus, plerumque magna sapientia magnoque moderamine usus est, cum animis regendis ac instituendis operam dedit. Quantum enim potuit laudabili studio obstitit falsis doctrinis, quæ paulatim in *dogma* catholicum irrepserant, aut quæ, devotionis specie, mores et doctrinas corrumpebant. Itaque scripsit multa et prudentissima non solum adversus haereticos, sed etiam adversus Flagellantum sectam, contra astrologos, præsertim contra eos qui libentius Deo referunt quidquid delirant « cerebra morbo agitata », aut quidquid fingunt mentes mulierum « natura ipsa ad visiones propen-

(1) *De zelo et fervore novitiatus, etc.* Op. Gers., II, 772.

se ». Adeo autem timebat ipse ne a veritatis amore sincero discederet ut, cum, jam proiecta aetate, sentiret se paulatim corporis et animi viribus minui, tum quoque sibi a Deo peteret rectum judicium ac mentem sanam (1).

Quare docet hominem et maxime juvenem non posse bene ac rite institui, nisi servetur aequabilis compensatio, seu, ut ipse dicit, « perfectum aequilibrium » inter naturae partes diversas.

Duobus enim elementis contrariis et inter se colluctantibus homo necessario distrahitur, quorum aequatione tantum moderatus et perfectus fit, *carne* scilicet et *spiritu*. Quam sententiam Gersonius his versibus, inter multos alios, illustrat :

« Spiritus astra petit, linquens miserabile corpus,
Carcere seu tetra carne solutus abit;
Cujus erat regimen, grandis labor, asper, amarus,
Blanditiis fallens, excrucians stimulis.
Assiduus conflictus inest, victoria rara.
Audi, quod linguam nemo domare potest,
Quid faciant aures, oculi? quid membra pudoris?
Quidve manus, gula, cor, vis, quid odora petit?
Bruta sub imperium videoas descendere freni,
Nauta gubernandi dirigat arte rates,
Et rigida cervice caro sua frena remordens
Se rapit, et dominum dejicit executiens.
Opprime mille modis, surget tamen usque rebellis,
Nemo perfecte suppeditabit eam.
Intro semper inest membrorum dira tyrannis,
Fomentum sceleris, omnis origo mali.

(1) Cf. *Testamentum quotidianum peregrini et Considerationes quæ Testamentum sequuntur*. Op. Gers., II, 762, 763.

. Allicit illecebris, acer exaggerat iras,
Miscet tristitias, gaudia, spemque metum.
Plurima lis, pax nulla diu, securaque nunquam;
I nunc, et tale plangito mancipium (1). »

Quorum elementorum necesse est alterum, id est rationem, seu spiritum, habeat imperium, ut homo bene ac recte educetur. Quod sane proclamat Gersonius expressis verbis, in plurimis operum locis.

Attamen vult corpus, seu carnem, rationi servire, non vero minui neque destrui, quia eam naturæ legem putat esse ut ratio ipsa non possit totam se e corporis necessitatibus expedire. Itaque, quotiescumque de mente instituenda agitur, Gersonius corporis jura vindicat. Quare hortatur omnes adulescentes et ipsos novitios, ut jejunii, flagellis et aliis tormentis, quibus domant suam carnem, temperate utantur. Quæ quidem mansueta ac pia sollicitudo rara fuit apud paedagogos, barbaræ severitatis tempore, quo magistri discipulos verberibus et pœnis magis quam persuasione putabant esse corripiendos.

Gersonius quidem non negat jejunium et alia corporis tormenta multum sæpe conferre ad cupidatum impulsus refrenandos, sed ea exercitia prorsus improbat, apud eos qui infirmi sunt, cum sint inutilia plerumque, semper vero periculosa. Etenim qui istiusmodi deliramentis utuntur, sæpiissime superbiae aut vanæ ostentationis causa agunt, cum sic se gerant plerumque ut aliis videantur sanctorum imi-

(1) *Ep' stola consolatoria ad Johannem germanum suum, etc.* Op. Gers., III, 768.

tatores : « Sciant, ait Gersonius, non omnium avium parem esse volatum ad aquilam, nec bestias omnes cursu trigidem æquare (1). » Vult contra pueros, qui in ludis sunt, « sufficientibus et sanis cibis enutriri, et munde teneri in camera, et in lectis et in vestibus lineis et ceteris (2) ». Vult quoque curam præcipuam infirmis adhiberi.

Etenim putat Cancellarius omnibus et maxime feminis adolescentibusque necessarium esse ut agnoscant « quam utilis sit in omni re discretionis virtus, quam parit, nutrit et salvat humilitas veræ obedientiæ copulata (3) ».

Quod si quis de hujus sententia comprobata veritate dubitaverit, in memoriam ei revocabit Gersonius hæc Sancti Johannis Climaci verba, in opere cui inscribitur *De gradibus pertingendi ad Deum* : « Homo arrogans et seipsum ducem constituens non indiget dæmone tentante, quia factus est ipsi dæmon. » Quin imo affirmat plura ac majora damna homini evenire « ex hac peste indiscretionis » quam e nimio cultu corporis : « Ad parem exitum, inquit, abstinentia nimia et crapulosa voracitas, nisi quod irremediabilior est excessus in abstinentia : Morbos enim affert incurabiles ex læsione cerebri et rationis perturbatione, quo fit ut per maniam ac furiam, vel ceteras passiones melancholicas sic profundatur et intime radicantur phantasmata interius

(1) *De distinctione verarum visionum a falsis.* Op. Gers., I, 50.

(2) *Doctrina pro pueris Ecclesiæ Parisiensis.* Op. Gers., III.

(3) *De distinctione...* loco citato. Cf. etiam *Tractatum de non esu carnium Cathusiensium*, etc. Op. Gers., II, 718.

reservata in cerebro, quod esse reputantur verae res extrinsecus apparentes et audire se putat homo videre vel tangere quod nullo sensu exteriori percipitur. Invalescit autem haec passio usque ad hanc aliquando insaniam ut judicet se homo aliud esse quam est, quemadmodum repertus est qui se muri- legum, alias qui se gallum, alias qui se asinum, alias qui se mortuum reputaret (1). »

Ita sane sensit Gersonius, cum undique occurrent morborum superstitionumque exempla quibus tempore schismatis delirarent animæ, præsertim apud eos qui, tum in gymnasiis, tum in monasteriis intemperantius rebus religiosis se dedebant. Legimus enim in *Tractatu de distinctione verarum visionum a falsis*, cuius excerpta modo attulimus, haec illustrissima verba : « .Estimo quod nunc maximo- rum malorum cumulum quem in schismate patimur et experimur ab hac indiscretionis peste processe- rit (2). »

Sed præterea, dum animas quotidie docet ac regit, saepe expertus est Gersonius quantum detrimentum sibi afferant qui « vitam spiritualem consistere credunt in ruminatione, vel potius phantasiatione rerum spiritualium (3) ». Quapropter consiliis, hortationibus ad religiosos missis, scriptis et tractatibus nitit-

(1) *De distinctione verarum...* Op. Gers., I, 49, B.

(2) Op. Gers., I, 49. *Tractatus de distinctione...* videtur scriptus fuisse eodem tempore quo *Tractatus de probatione spirituum*, anno scilicet 1415, quum inter patres orsa est de Brigittæ canonizatione controversia. Cf. Op. Gers., I, 37 et 43.

(3) Cf. *Epistola Johannis Gersonii ad fratrem Bartholomœum*. Gers., I, 80.

tur, quantum potest, istiusmodi deliramentis obsistere (1). Non enim in discipulis extraneis tantum repererat hujus morbi exempla, sed etiam apud fratrem ipsum minimum, qui Johannes quoque appellabatur. Gersonius non semel de eo scripsit Nicholao fratri, Cœlestinorum Lugdunensium cœtus præfectui, apud quem monachi vitam degebat junior ille Johannes : « Ecce jam accipio quod gravissimis torquetur insomniis. Hanc utique molestiam Reverendus Pater antedictus (Petrus Alliacensis, Cameracencis Episcopus) et ego sibi maxime pertimescimus, quam tamen in sæculo contigisse non memini. Et, o Salutifer Christe, quid sibi futurum est ægrotanti et senescenti, si adhuc sano, juveni et vegeto talis cruciatus occurrit? Cruciatus quo nullus potest reddere ipsum magis hebetem in ingenio, fluidum in memoria, turbatum in rationis judicio et generaliter ineptissimum ad omnia. Nam parum differt a mania vel furia talis turbatio (2). » Quærit autem Gersonius cur istius mentis ac corporis ægrotationibus afficiatur, nec dubitat eam esse causam quod severiore monachorum disciplina infirmatur, non autem quod, ut opinabatur Nicholaus, Cancellarii monitis et epistolis lacesatur : « Verumtamen attende, frater, si solæ tales litteræ binæ vel trinæ sufficerent verecun-

(1) Cf. præter tractatus jam citatos, *Epistolam ad Bartholomæum Carthusiensem super tertia parte libri Johannis Ruysbroech; De ornatu spiritualium nuptiarum; Judicium de vita sanctæ Erminæ.* Op. Gersonii, 60-90.

(2) *Johannis Gersonii Épistolæ quædam ad suum fratrem Nicolaum Cœlestinum de altero fratre suo Joanne, in eodem ordine recepto.* Op. Gersonii, III, 742, D.

dum juvenem, disciplinatum, solitum audire longe graviora, in talem defectum inducere, nisi jejunium aretum, vigiliæ supra modum, orationis vocalis exercitium ingens, atque lecti durities, et similia concurrant (1). » Quin imo declarat ipse Gersonius, se, quanquam robustior corpore est, non posse sine periculo isti austero vivendi modo incumbere, quod statim hebes et enervatus fieret : « Scio de me ipso, quia si vigilare qualiter vigilant multi compellerer, parum, vel nihil differrem ab insano, cum avantagio jam habito, sicut vulgo dicitur (2). »

Quare Cancellarium pœnitet quod hunc miserum fratrem olim, cum in Collegio Navarræ studeret, nimia severitate tractaverit, nec ejus debilitatem animo indulgentiore curaverit. « Repente insurgebat tumultus ingens carnalium affectionum, quæ tuam apud me objectabant imbecillitatem in corpore, pœnam intolerabilem in austeritate religionis tuæ clamabant. Querulabatur apud me de meipso sensualitas stolida, me durum increpans, me culpabilem insusurrans, quod parum fraternaliter et pie olim te tractassem et tunc velut unum ex advenis et extra-neis a me procul abjicerem (3). »

Ea autem animi benignitate vult discipulos a magistris in ludis regi atque educari. Regulas sane, quibus disponuntur formanturque studia atque ipsam

(1) Op. Gers., III, 743, A.

(2) Ibid., 743., B.

(3) Op. Gers., III, 744. Cf. etiam aliam epistolam de Fratre suo Nicolao ad Cœlestinorum superiorem missam, in qua, maxima cum diligentia, de imbecillitate fratris sollicitum se præbet.

collegiorum rationem non irritas facit, eas caute tamen observandas esse dicit. Plurimæ enim sunt leges ac consuetudines obsoletæ quæ magistro aut præceptorí sunt neglegendæ, cum plerumque, non solum absurdum, sed crudele ridiculumque foret severius eas adulescentibus imponere : omnis enim disciplina in studentium utilitatem, non ipsi studentes in disciplinæ commoda ordinandi sunt. Quod si juvenes, dum Universitatis collegia ingrediuntur, jurant se omnes institutiones rite esse observaturos, non inde sequitur ut conscientia teneantur ad littaram omnibus his præceptis, præsertim si sint obsoleta, parere : « Nobis dicendum videtur quod multæ sunt institutiones ad quarum observationes videntur omnes se quotidianis juramentis adstringere, quas tamen observare non tenentur, non quod perjurium sit licitem, sed quia juramenta talia sunt semper intelligenda civiliter. Horum exempla sumere possumus in præclara Universitate Parisiensi et in Ecclesiarum aliis Collegiis. Constat quod noviter intrantibus dictam Universitatem vel Collegia, leguntur explicite constitutiones aliquæ inter ceteras, quæ nullatenus observantur; quibus lectis, ab eis petitur : — Vultis ista jurare ? Qui respondent : Ita juro, nec aliquid excipiunt : quod si quis dixerit omnes præsentes tam eos qui exigunt, quam eos qui juramentum præstant criminaliter desicere, videat quomodo tot et tales summæ literaturæ et probitatis viros possit, absque temeritate, damnare (1). »

(1) *Liber de vita spirituali animæ.* Op. Gers., III, 46.

Evangelicæ enim sententiæ meminit Gersonius *estimatque*, in rebus ad disciplinam pertinentibus *litteram præcepti cum spiritu quo lex instituta est*, esse imprimis rationi conciliandam et interpretandam, quia nemo ad harum institutionum præcepta quæ a mera hominum voluntate pendent, sese astringit, quin interdum ab eis se licite retrahere possit, præsertim si, regula neglecta, majus inde commodum eveniat : « Plane quidquid aliud verba sonant, interpretatio talis habenda est, tum per rectam rationem, tum propter superiorem discretionem, tum denique per legem, quæ major est, legem divinam, legem charitatis (1). »

Præterea quædam delicta adeo leviora sunt, ut ne culpæ quidem habenda sint, sed contra maxima indulgentia toleranda. Quis enim de peccato argueret discipulum aut religiosum, qui « silentium in conventibus frangeret », quanquam eo tempore loqui omnibus lege esset vetitum? Nemo sane : « Non liceret, ait Gersonius, Abbati severius justo, præter regulam et consuetudinem, punire talium monitorum transgressores : multo minus in Universitatibus et collegiis, ceterisque politiis (2). » In rebus enim quæ ad mores informandos aut ad fidem proponendam pertinent, omnia vult Gersonius « non solum *scholastice* sed et *doctrinaliter* interpretari ».

Diuturnus mos fuit, apud majores, ut magister virgis uteretur, quo severius discipulos corrigeret.

(1) *Liber de vita spirituali animæ*. Op. Gers., III, 66.

(2) *Ibid.* Op. Gers., III, 69.

Quo in genere sœviendi insigne fuit illud regium Navarrense collegium, in quo Gersonius, postquam doctoris titulum adeptus est, anno 1392, legere ac commentari cœpit. Regina enim Johanna Navarrensis hoc collegium, propriis impensis, anno 1304, instituerat, statueratque rex ipse discipulorum numero adscriberetur, ac pecunia, quæ pro ipso penderetur, ad virgas emendas adhibenda esset.

Quem quidem usum pessimum penitus eradicare non potuit Gersonius, sed, exemplo sancti Anselmi (1), studuit temperare, ut pueros a barbara quorumdam pædagogorum sœvitatem defenseret : « Fiant, inquit, punitiones tantum de virgis temperate, sine ferulis aut aliis percussionibus periculose læsivis et sine probris et contumeliis, ut se magis amari sciant quam irriteri, et ut mansuetudine potius ducantur quam austeritate trahantur ad bonum, *ne pusillo animo fiant* (*Ad Colos.*, III, 21) (2). »

In sermone quodam de sancto Ludovico eadem mansueta mente hortabatur magistros ut discipulos animo paterno instituerent, aut ne ad eorum emendationem pœnis severioribus uterentur; attamen putabat esse interdum pueros acrioris ac rudioris naturæ, qui necesse est erat pœnas graviores perfor-

(1) Dicitur sanctus Anselmus semper vituperasse eos qui inhume in scholis aut ludis pueros verberabant. Quodam die Abbas quidam querebatur quod pueri, quorum erat ipse præceptor, essent vitiosi, quanquam die ac nocte verberibus eos plecteret; cui respondit Beatus Anselmus : « O stupendum prodigium : tu verberas eos, dum juniores sunt, et miraris quod sint stulti, inepti, cum adulti fuerint ! » Cf. Rambaud, *Histoire de la Civilisation française*, I, 333.

(2) *Doctrina pro pueris Ecclesiae Parisiensis*. Op. Gers., III.

rent, cum neque persuasione neque mansuetudine essent corrigendi. Sæpe enim puer, præsertim cum ratione nondum fruatur, neque monitis, neque hortationibus, flecti potest; quare, si eum statim a tenera ætate volueris a pessimis moribus defendere, severioribus poenis plerumque utile erit ejus pertinaciam frangere, dummodo eis, mansuetudine ductus, non ira incitatus, ularis. Quod remedium aliquando adolescentibus ipsis necessarium esse agnoscit Gersonius, præsertim cum de eis ad bonos mores instruendis agitur. De ea re scripsit Cancellarius, dum Brugis habitat, Collegii Navarræ alumnis (anno 1403¹⁾. Queritur quod juvenum mores in deterius versati sint, nec habeat medicinam promptam, qua eos possit ad digniorem vitam adducere. Deinde hæc addit: « Postremo prædicarem talia adolescentibus ipsis; sed me absentem scitis et ipsi monitoribus asperi sunt, ut ait Flaccus, atque ob vehementissimos passionum strepitus obsurderent veritati. Neque verbis rudes erudiri possunt, *stultitia colligata in corde pueri*, ait Sapiens (*Proc.*, 12, *sed virga disciplina fugabit illam*: virga dicit, non verba (1). »

Præter hanc virgis utendi consuetudinem, alia plurima erant incommoda quibus affecti erant studentes, præsertim qui nimia paupertati obnoxii erant.

Cum Gersonius fuisset ipse pauper atque in Collegio Navarrensi, inter adolescentes inopes, vixisset, acrius senserat quantis miseriis et periculis objicerentur plerique studentium qui, ob extremam

1) Cf. Op. Ges., I, 111.

paupertatem, plerumque cogerentur aut apud *burgenses* avaros et inhumanos tectum exiguum ac sordidum, victumque tenuem, maximis impensis, quarre, aut diu noctuque manere in collegiis, ubi omnes fame peribant, quod fundator improvidus non curaverat ut, post mortem, relinqueret unde magistri ac discipuli honeste alerentur (1).

Quare Gersonius vult eos qui hujusmodi fundationes instituere animo intendunt, ante omnia operam dare, ut de opere in futurum stabiendo curent, veteresque institutiones potius augeant quam novas faciant : « Testaturus exinde consideret, quod reparatio, seu restauratio vel continuatio rerum jam institutarum per alios in collegiis, in cœnobiis... plus cederet ad honorem Dei et utilitatem populi cum minoribus expensis, quam novæ fundationes nomine proprio seu titulo facienda... Consideret testator, si vult fundare collegia... quod ex talibus modicis foundationibus plura sequuntur incommoda, sicut expertum est in religionibus variis et nominatim in collegiis studii Parisiensis. Melius enim reguntur, continuantur et permanent communitates magnaæ quam modicæ. Sit hoc in Monasteriis, sit in aliis collegiis Ecclesiarum vel studiorum (2). »

. (1) Sæpe etiam fundatores neglecebant annuos redditus solvere. Patet enim ex Litteris Ludovici XI^o ad Parliamentum, 16^a Februarii 1479, missis, Collegium ipsum Navarrense diu a Campaniæ Comite fraudatum fuisse 2000 francis auri quotannis ab ipso solvendis. *Ordonnances des Rois de France*, XVIII, 532.

(2) *Conditiones pro volentibus condere testamentum*, 1427. Op. Gers., III, 739. Cf. etiam *Sermonem de officio pastorali in Concilio Remensi*. Op. Gers., II, 551.

Quare animo lætatus est, quod Rex Carolus VII Ecclesiam Lugdunensem præbendis multis et copiosis dotavisset (1). Ipse vero, quantum potest, dat operam ut collegiorum fundationes sint locupletiores, quod propositum, in illo Sermone, anno 1408, in concilio Remensi habitu, magna sollicitudine prosequitur. Postquam postulavit scholas theologicas in Ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, etiam in collegiatis nobilibus institui, episcopos voluit curare ut « una præbenda esset ad hoc officium salutiferum specialiter et irrevocabiliter applicata. Quemadmodum, addebat ille, Dominus noster Benedictus, procurante præceptore meo inclyto, Domino Cameracensi, constituerat, sed nescio quo pacto tam sanctum opus e mediis (ut dicitur) manibus elapsum est, concedebatur ut legentes et studentes perciperent, certis diebus et horis, distributiones quotidianas, hac ratione qua intendentes temporalibus Ecclesiæ commodis, sine ulla contradictione recipiunt (2). »

Dum instituta reformare nititur consiliis, præceptores magistrosque monet, disciplinam denique potius persuasione quam vi confirmat, sedulo conatus est Gersonius studentium sortem, in rebus mere naturalibus, feliciorem reddere. Jam vidimus eum, dum *Doctrinam pro pueris Ecclesiæ Parisiensis* constituit, paedagogos admonere ut discipulis, præsertim junioribus, cibum sanum et sufficientem distribuant;

(1) Op. Gers., *De nobilitate ecclesiastica*, III, 224.

(2) Op. Gers., II, 548.

præterea reperimus in hoc opusculo multa et quasi materna consilia, quibus Cancellarius ab adulescentibus arcere vult quidquid eis nocivum fieri potest. Vult, dum pueri prandunt aut cœnant, Magistrum adesse qui « videat ne in comedione excessive se hab habeant, vel in honeste »; prohibet studentes ne nocte se transferant de lecto ad lectum, ne « habeant convicula, vel societas ad partem extra alios », ne bestias vel aves nocivas secum nutriant; jubet contra pueros, præsertim noctu, cum sociis assignatis manere, interdiu autem, cum magistris aut discipulis conversari. Nihil Gersonium fugit cum de puerorum commodis agitur: « Volumus, inquit, ut, more antiquo, sit lucerna ardens in seculo loco coram imagine Virginis, qualibet nocte in camera puerorum, tam propter devotionem quam propter necessitates naturales quam leviter patiuntur pueri. »

Ne putas tamen Gersonium, tanquam postea Eneam Sylvium, operam dedisse ut institueret novam disciplinam qua membrorum exercitationes et corporis cultus commendarentur (1). Namque, dum legimus ea quæ de corporis educatione scripsit Gersonius, desideramus non solum majorem corporis curam, sed indulgentiam teneriorem requirimus, præsertim quod, ætate nostra, clarius sentimus quantum ad mentem ipsam et ad morum profectum conferat, membrorum exercitationes non neglegere. Gersonius enim, quanquam natura sua potius ad misericordiam

(1) Cf. *Eneæ Sylvii Pii II^o Pontificis Tractatum de liberorum educatione*, Basileæ editum 1551, ubi reperitur articulus de cura corporum confectus.

quam ad severitatem fuit pronus, *carnem* tamen, ut omnes theologi hujus temporis, vilem habet, timetque ne ex ejus nimio cultu, aliquid damni præsertim adulescentibus afferatur. Quare silet, aut parum curat, de his variis gymnasiorum ludis et exercitationibus, quibus corpus et membra formantur, lacerti robustiores fiunt, mens ipsa reficitur ac quasi recreatur.

Itaque, si ludus studentibus permittitur, potius delectatione fit quam, ut apud Græcos, ad vires corporis augendas. Quam quidem disciplinæ rationem Gersonius, Quintiliano ipso præceptore, docuit, cum iste in libro de *Oratoria Institutione*, educandi corporis præcepta consulto omisisse videatur.

Nihilominus, apud Gersonium ipsum facile reperies majorem de corporis educatione sollicitudinem, quam apud ceteros theologos ejusdem temporis. Præter ea quæ jam supra citavimus (1), plurimi sunt operum loci, ubi Gersonius de rebus ad bonam ac sanam valetudinem pertinentibus se sollicitum præbet. Non enim eum fugit quod « fierit possunt, ut dicit, cogitationes turpes et abominabiles ex causis naturalibus, secundum humani corporis dispositionem. Primo videlicet, aut ex nimia cerebri eva-
cuacione per jejunia, per studium, vel fortem im-
aginationem. Secundo, aut ex nimia abundantia grossi sumi, causati ex corruptis humoribus, propter cibi et potus intemperantiam, vel etiam causati ex certo cibo vel potu qui, licet modice sumptus,

(1) Cf. Supra, initio capit. 8.

habet naturaliter generare grossos humores caput perturbantes (1). »

Quapropter, in eodem loco otiosos aut eos qui colunt vitam umbratilem atque contemplativam hortatur, ut interdum operibus durioribus sese dedant, ne corporis desidia, mens enervetur, moresque in deteriorius cadant : « Quamvis vacare Deo per spiritualia exercitia non sit sine labore, laborare nihilominus interdum etiam manibus expedit. Unde contingit nonnunquam, ut hoc negligentes, non quidem ob corporis debilitatem, sed ex desidia et carnis voluptate, deveniunt ad magna pericula animarum suarum; non solis in malis cogitationibus, sed etiam quandoque in gravioribus. Prudenter itaque et rectissime Religionum institutores suis deputarunt filiis certas horas, non solum ad cantandum, orandum, ad meditandum, etc., verum etiam ad labores manuum extiores faciendum, prout clare patet in regula sancti Benedicti et aliorum approbatorum Ordinum institutionibus..... Si cui exempla præmissa pro vitando otio non sufficient, attendat etiam quod ipsi fratres Carthusianes, qui, plus ceteris Religiosis, quieti contemplationis et spiritualibus exercitiis deputari videntur, habent (prout intellexi) certas horas, quibus corporalibus intendunt operibus secrete et sine strepitu in suis cellis; fit hoc scribendo, libros ligando, corruptos emendando, hortulos suos colendo, aut cetera hujusmodi pro loco et tempore congruo faciendo. »

Eadem certe ratione ductus est, cum confecit ipse

(1) *De Exercitiis devotorum simplicium.* Op. Gers., 613.

regulas observandas pueris Ecclesiæ Parisiensis scholæ. Vetuit enim magistris ne discipulos sinerent ludis otiosis incumbere, qui potius pigritiæ, avaritiae aut impudicitiæ causa fiant, quam ut corpus exercitatione recreetur. Prohibeantur igitur ludi alearum, taxillorum, calculi plumbei, cupræi, etc., quo largius pueris liceat cursu, motu, exercitationibus acrioribus membra calefacere, mentesque imbecilliores relaxare. Quare vult Gersonius detur pueris frequens et brevis recreatio, præsertim post prandium et cœnam, cum tunc minus sint idonei ad graviora studia ac libentius ludis et clamoribus cedant (1).

Non solum vero edictis, legibus, hortationibus operam dedit Cancellarius quo feliciorem redderet puerorum ac studentium sortem, sed etiam haud semel coram principibus, tum ecclesiasticis tum civilibus, eorum jura magna fortitudine sustinuit, etiam cum suo detrimento, defendit. Quod quidem studium conspicuum fuit, præsertim cum discriben inter Universitatis doctores ortum est num promovendi ad licentiam dare pecuniam Cancellario cogerentur, et cum rixa fuit inter studentes ac Caroli Savoiseyi familiares; quorum eventorum aliquid commemorare esse opportunum videtur.

Cum primum de licentiæ gratuitate actum est, Gersonius jam adulescebat, etiam tum in Navarræ Collegio theologicis scientiis studebat.

Res, circa annum 1386, adeo invaluit ut seditio inter magistros et discipulos in diem cresceret et

(1) *Doctrina pro pueris Ecclesiæ Parisiensis*. Op. Gers., III.

totam Universitatis societatem penitus perturbaret.

Joannes Blanchard, qui a Clemente VII papa nuper Cancellarius Universitatis Parisiensis creatus erat, querebatur quod redditus annui essent nimis exigui, nec posset, pro dignitate sua, decenter munieris onera sustinere. Quare volebat, ut mos erat in quibusdam Universitatibus, omnes ad licentiam promovendos, « in signum virtuosæ recognitionis et grandiosæ congratulationis » decem francos auri Cancellario, « ratione sui laboris quem habet occasione dictæ licentiae conferendæ per nuntios remittere (1). »

Res primum ad Curiam parlamenti est delata, a qua statutum est, ut omnes Baccalaurei trium Facultatum Theologiae et Medicinæ et Decretorum decem francos solverent, donec Summus Pontifex de ea re aliquid certum declararet. Clemens VII vero, cum nollet neque Cancellario, neque ludorum discipulis esse ingratus, per ambages respondit, decrevitque nihil in re esse mutandum. Cum jam longo tempore res in discriumen esset mosque paulatim increvisset inter studentes aliquid munusculum Cancellario sponte offerre, putaverunt aliqui doctores discipulos, maxime qui pauperes erant, magnum inde laturos esse detrimentum, cum Cancellarius, cui soli esset data a Summo Pontifice licentiae conferendæ potestas Baccalaureis, indulgentius forte se gereret erga eos qui plus ei pecuniaæ darent. Contra hanc intoleran-

(1) Petri de Alliaco *Tractatus Ius adversus Cancellarium Parisiensem*, in Appendice ad Tomum I^m Operum Joannis Gersonii, col. 733.

bilem injuriam totis viribus obstitit Petrus Alliacoensis qui, eo tempore, Navarrae Collegium regebat, duosque Tractatus de re scripsit, in quibus Cancellarium Parisiensem simoniae arguit; probavitque, tum Patrum doctrina, tum usu ecclesiastico, « dare vel recipere, pecuniam pro licentia docendi, maxime si de Theologia ageretur, esse proprie simoniacum; sic dare vel recipere pro hujusmodi licentia esse contra jus naturale et divinum; dicere quod sic dare vel recipere sit licitum, esse haereticum (1) ».

Qua in controversia Gersonius amici ac magistri sententiam defendit. Existimabat enim esse magisterii gratis scientiam ac praesertim Theologiam discipulos edocere. Quapropter, ex epistola novimus, quam scripsit de *causis propter quas Cancellarium dimittere vellet*, eum maluisse a se abjicere hoc munus, cui impar ob paupertatem esset, quam a studentibus pecuniam accipere ut decentius vivere posset (2).

Gersonius autem Cancellarius erat, cum ob rem Savoiseyam magnus tumultus in Universitate ortus est.

Anno enim 1404, cum morbo perniciose laboraret omnis civitas Parisiensis, a doctoribus Universitatis statutum est ut omnes religiosae societates, una cum ludorum rectoribus ac discipulis, in Ecclesiam Sanctae Catharinae dicatam, maxima cum

(1) Petri de Alliaco *Tractatus Ius aduersus Cancellarium Parisiensem*; Op. Gers., tom I, col. 725. Cf. Felibien, *Histoire de Paris*, t. IV, MASSON, *Jean Gerson*, 96.

(2) Op. Gers., IV, 725, 726.

pompa, convenirent, ad misericordiam Dei efficacius implorandam. Itaque, die constituto, in montem Sanctæ Genovefæ undique confluxerunt omnium collegiorum alumni ac magistri, ut, Gersonio duce, per viam Sancti Jacobi dictam, sacellum peterent.

Jam Sequanam fluvium transierant et viam Sancti Antoni ingressi erant, cum occurrerunt cujusdam Caroli Savoiseyi, regis *cambellanii* ac Ducis Aurelianensis familiaris, domestici, equos a potu reducentes. Signo autem dato, equi a servis relaxati atque impulsi in ordines « peregrinantium » irruerunt et nonnullos juvenes pedibus offenderunt. Quare statim rixa int̄ Universitatis discipulos ac Caroli Savoiseyi orta est. Cum autem unus e domesticis parvo calculo capite l̄esus fuisse, mox acrius ex utraque parte pugnatum est. Famuli a domino Carolo, cui res nuntiata erat, jussi sunt arcubus, telis, gladiis uti, ad hostes repellendos. « Peregrinantes » vero vix in ecclesiam Sanctæ Catharinæ ingressi erant, cum Caroli Savoiseyi fautores templum, magno clamore, invaserunt. Magistrorum ac discipulorum plurimi vulneribus affecti sunt, picturæ laceratæ, sanctorum imagines fractæ, diaconi ac subdiaconi vestes gladiis laniatae, totum denique sacellum « blasphemis et sanguinis effusione pollutum ».

Quæ res statim ab Universitatis doctoribus delata est, primum ad Willelmum *de Tignonville*, civitatis praefectum, deinde ad reginam, ad Aureliani ac Burgundiæ duces, tandem ad ipsam Parlamenti Curiam. Causa vero acta est, die decima nona Augusti, maximo cum apparatu, atque paulo post, die vigesima

tertia ejusdem mensis, rege ipso præside, ex sententia Summi Consilii, statutum est Caroli Savoisyi aedes penitus esse diruendas. lapides earum et omnem materiam ecclesiae Sanctæ Catharinæ esse tribuenda. Decreverunt quoque consiliarii, annuente rege, centum francos auri quotannis ab eodem Carolo esse solvendos, quibus quinque capellani in prædicta ecclesia sustentarentur; insuper duo millia illico distribuenda, partim iis qui vulnerati fuerant, partim Universitatis beneficio. Servorum vero tres, qui atrocitate maxime conspicui fuerant, veniam a Deo impetrare jussi sunt in tribus ecclesiis, deinde flagellis palam plecti, atque in exsilium ad tres annos missi sunt.

Quo in negotio Gersonius Universitatis totius, sed præsertim discipulorum, partes maximo studio suscepit. Audacissimam quidem ac vehementissimam orationem coram rege atque Curia Parliamenti habuit, in qua Carolum Savoiseum atque ejus fautores declaravit summa severitate esse puniendos. Tanta autem indignatione oravit ut inde Universitatis laus et beneficia neenon studentium jura in posterum amplificarentur (1).

Qua concione Gersonius discipulos Facultatum non solum contra vim injuriamque defendit, sed totius Universitatis auctoritatem ac potestatem corroboravit atque auxit. Antea Universitas, cuius munus præcipuum erat comparare aut tradere varias doc-

(1) Cf. Op. Gers., IV. *Querela nomine Universitatis ad senatum Parisiensem habita, adversus familiam Caroli de Sovoisy*, mense Julio 1404.

trinas, quanquam ei necesse fuerat interdum prodomo certare, nunquam tamen cum tanta fama ac laude, non solum in externis sed etiam in domesticis, forensibus, civilibusque rebus versata erat ; adeo ut non temerarium forte esset asserere, ab anno 1404, Universitatis doctores maxime ad tutelam regni et defensionem totius Ecclesiæ accessisse. Anno sane 1403, ægrotante rege, Universitas, ore Johannis Brevis Coxæ doctoris, suo civiumque Parisiensem loquentis nomine, a Carolo VI^e postulaverat ut quædam *ordinationes* recenter jussæ servarentur (1) ; sed in ea quoque concione Universitas potius *humillimam Regis filiam* se præbet quam doctrinarum ad res politicas pertinentium magistram. In illa vero oratione contra Savoiseum habita, Gersonius Universitatem declarat « omnium scientiarum fontem, totius Galliæ et omnium gentium decus ac ducem », cuius initium ab origine mundi repetendum putat (2). Quare videtur Gersonius ea occasione libenter usus esse quo facilius Universitatis imperium promoveret. Anno enim sequente, die 7 Novembris, coram rege et ducibus

(1) Cf. du Boulay, V, p. 83-91. *Quædam propositio et exhortatio facta in præsentia regis Karoli VI, pro parte Universitatis ac præpositi et civium Parisiensium ut certe ordinationes tunc noviter jussæ servarentur. Per Joh. Brevis Coxæ, doctorem theologiae et oratorem Universitatis.* (Gallice edita, 1403.)

(2) « Je suis celle qui depuis, par succession, fut fondée et renouvelée en Égypte par Abraham et aultres fils de Noé, puis fus transportée à Athènes et nommée Pallas ou Minerve, puis vins à Rome, quand la chevalerie y seignourisait. Puis par Charles Magnes le Grand, fus plantée à grand labeur en France et en la Cité de Paris et tant aimée et chière tenue que les très nobles rois de France ont voulu que je sois nommée la fille du roy. » Op Gers., IV, 571.

plurimis, hanc præclarissimam et maxime accuratam habuit orationem, cui inscribitur *Virat Rex*, et in qua docuit quæ essent præcipua Regis officia « quoad hominem et principem et christianum »; quæ quidem oratio tanquam summa doctrinarum politicarum eo tempore a theologis traditarum et acceptarum habenda est (1).

(1) Op. Gers., IV, 714. Cf. GUILLON, p. 40, sqq.

CAPUT TERTIUM

QUA RATIONE VOLUERIT GERSONIUS MENTEM INSTITUI

Vidimus antea quanto animi ardore Gersonius, etiam a tenera aetate, litteris, scientiisque omnis generis colendis studuisse; non mirum igitur quod ceteros quoque homines sollicitus fuerit hortari ut ingenium doctrinis exquisitis ornarent. Etenim expertus erat quam multas et jucundas mentis voluptates sibi comparare posset qui in litterarum studio otium suum consumeret. Quinimo non nesciebat scientiam, si interdum « animos, ut aiunt, inflat (1) » semper tamen esse virtuti verae et sincerae necessarium. Qui non semel intellexerat in quantis corporis et animi discriminibus versari posset qui virtutes ignorantia fulcire vellet, quantaque mala e civium nimia ignorantia toti reipublicae plerumque evenient; quare libenter declarabat ex crassa plebis superstitione et procerum inscientia damna, quibus tunc laboraret societas civilis et ecclesiastica, initium primum sumpsisse, etiam quotidie crescere.

Quare vult omnes cives, quantum eis conditione

(1) Cf. *Carminium super Magnificat, pars non minima...* Op. Gers., IV, 513, sqq.

licitum est, in aliquo litterarum genere versari, et in opusculo de *Nobilitate Ecclesiastica* (1) scripto, maxime laudat parentes qui liberos nobiles, quo altius et liberalius in omni genere litterarum eduntur, præceptoribus doctissimis tradunt instituendos, « sicut Alexander traditus est Aristoteli ».

Diu mos fuit, apud majores, juvenes nobiles qui rebus militaribus se parabant, spernere, tanquam aliquid vile, quidquid ad artium aut scientiarum cultum pertinebat : quibus Gersonius, dum regem, anno 1405, nomine totius Universitatis, alloquitur, in ea celeberrima oratione, cuius thema *Vivat rex* fuit, verbis auctoritate conspicuis respondit : « Soient les nobles exercitez et instruiez dès leur jeunesse à peine et à labeur et es faictz d'armes, tant par expérience, comme par *science de chroniques et histoires et faictz anciens*. Si jeunesse est souef nourrie, que fera-t-elle en viellesse? Main tendre tient mal l'espée et chief bien peigné porte mal bacinet. Saul, David, Gedeon, Titus, Alexandre et aultres preux et vaillants eurent jeunesse très laborieuse, afin que par ce furent après plus exercitez et vaillants en faictz d'armes. A quoi est très profitable accoutumance de jeunesse, en tant que pour telle exercitation en labours, advient que gens ruraux et de villages, ou bergers sont quelquefois plus vigoureux en bataille que plusieurs nobles... Mais aussi *par bonne instruction ès faictz des Anciens*, si engendrera hardiesse, car on fait trop plus légèrement ce qu'on sait avoir

(1) Op. Gers., III, 224, 225.

bien appris... Iey sont à reprendre ceux qui mesprisen-
tent que nobles enfants apprennent ès livres ou par
les clerces les histoires et cronicques de bataille; il
semble qu'il n'est seigneur qui ne doive avoir pour
soy et ses enfants le livre *Du régime des Princes* ou
semblable (1). »

Si nobiles oportet litteris studere, quanto magis
necessè est reges ipsi in omni doctrina, ad ceteros
regendos utili, erudiantur, cum de omni re sapien-
ter sint pronuntiaturi (2)? De officiis Regum sæpe
scripsit Gersonius aut oravit, sive in variis sermoni-
bus, coram rege, curia aut Parliamento habitis, sive
in quibusdam tractatibus ad res politicas pertinenti-
bus (3). Præterea duos scripsit libellos quibus im-
primis Carolum septimum regem Francorum mo-
nuit, qua disciplina filius esset instituendus. Quorum
scriptorum unum, anno 1429, scilicet paulo ante
quam mortuus est Gersonius, Lugduni editum est.
Quod opusculum ad Delphini, tunc sex annos nati,
præceptorem missum est (4) atque in duodecim

(1) Harengue faicte au nom de l'Université de Paris devant le Roy Charles sixième et tout le conseil en 1405. Chez Debeausseaux, quai Malaquais, 15 ; 1824; pages 33, 34.

(2) « Si laudabilis et meritoria est pueri cuiuslibet eruditio... quis non videat quam laudabilioris supra modum meriti fit hoc agere in Filio regis, qui regnaturus et gubernaculum seu clavum classis totius Reipublicæ moderaturus exspectatur. » Op. Gers., III, 226.

(3) De ea re, vide E. Guillon, *De Johanne Gersonio quatenus in arte politica valuerit.*

(4) Cujus tractatus inscriptio erat : *Instructiones Johannis Gersonii Doctoris et Cancellarii Parisiensis ad Magistrum Johannem instructorem Domini Ludovici Delphini Viennensis, filii Caroli VIIⁱ Francorum regis.*

articulos, seu *Considerationes*, divisum, quarum est summa ex ipsis Gersonii verbis deprompta :

I^a *Consideratio*. — Rectificetur imprimis intentio docendi vel officium exercendi circa Dominum Delphini ut fiat principaliter ad serviendum sibi, non tanquam homini, sed Deo, propter regnum cœlorum et justitiam ejus...

II^a *Consideratio*. — Habeatur spes eruditionis et profectus desuper a Deo per orationes humiles et continuas dum adhibetur doctrina : quatenus det et aperiat Deus sensum et intellectum ad percipiendam scientiam, et hoc magis quam ad propriam industriam.

III^a *Consideratio*. — Quæratur promotio ad Sacerdotium quam primum fieri poterit, propter duo prædicta...

IV^a *Consideratio*. — Comparetur modis idoneis dilectio, favor et auxilium familiarium Domini Delphini, quos non minus oportet docibiles esse : sed fiat docibilitas non authentico modo vel magistrali, immo quodam confabulationis modo seu commonitionis et consilii cum affabilitate gravi et affabili gravitate...

V^a *Consideratio*. — Comparentur Tractatuli et Libri præsertim in Gallico, propter finem prædictum melius conquirendum. Et jam pridem composita fuerat *Epistola ad Dominum tunc confessorem* (1) prædecessoris et fratri Domini Delphini præsentis, cuius initium est *Clarum præceptoris...* De Libris autem aliis

1 Cf. *infra*, pp. 37, 38.

poterit fieri specialis commonitio per schedulam.

VI^a Consideratio. — Caveatur præterea descendere ad particularia, ne pædagogus vel instructor faciat aliquid signis, verbis, vel operibus, per quod ipse reddatur odiosus Domino suo, per quod insuper Dominus veniat in odium litterarum, etiam si non deberet addiscere nisi paucissimas in diebus multis... Computetur ad lucrum, vel (ut vulgo dicitur) ad avantagium, quidquid didicerit sponte sua...

VII^a Consideratio. — Observetur ne Magister seu Pædagogus turbulentum se reddat aut iratum percussorem Domino suo, sed cum omni mansuetudine non adulatoria tractet eum...

VIII^a Consideratio. — Attendatur ne pro quolibet puerili defectu culpetur acriter seu vehementer ; sed in plurimis observetur illud *factus sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones* (Ps. XXXVII, 45). Sed neque audiantur familiarium accusationes faciliter dicentium : Dominus Delphinus hoc fecit, cur non increpatis eum ?... quia tales accusationes sæpius proveniunt ex ignorantia, vel malitia quam prudentia vel sincerae charitatis benevolentia. Denique ingenium nobile plus duci vult quam trahi et laude pasci suaviter quam rigida quadam tyrannde coarctari.

IX^a Consideratio. — Provideatur in particulari silentio et studio qualiter habebuntur historiæ vel fabulae morales adaptandæ, vel apud Dominum, vel apud suos, juxta qualitatem diei, vel temporis, vel loci, vel casuum particulariter occurrentium : prout solent fieri quæstiones, quatenus homo sit paratus,

quantum spectare poterit ad eum reddere rationem super talibus. Dicat tamen in multis et de multis quæ forte scientiam suam excedent; referamus nos ad sacram Scripturam et ad Fidem catholicam, quam docet Ecclesia et doctores catholici qui elucidare sciunt eam.

X^a *Consideratio.* — Dοcatur Dominus Delphinus cognoscere nomina et imagines Sanctorum paulatim, primo grosse, deinde magis in speciali per vitas eorum et *legendas*.

XI^a *Consideratio.* — Commoveatur frequenter idem Dominus Delphinus quis et qualis sit hominis finis et ad quid factus est, scilicet ad gloriam Paradisi et evitationem Inferni et quod vita nostra non est sicut brutorum quæ moriuntur cum corporibus... et quomodo sunt omnes homines tam pauperes quam divites et reges sub eadem conditione nati...

XII^a *Consideratio.* — Judicatur postremo Delphinus habere specialem aliquam devotionem ad quosdam Sanctorum, specialiter ad proprium Angelum bonum protegentem eum a malo. Tenteturetiam si fortassis ex aliquo instinctu vel responso proprio voluerit aliquem vel aliquos Sanctos eligere ad quos fiducialius fit recursus, cum observatione præceptorum Decalogi tam primæ quam secundæ tabulæ, prout exponi sibi poterit et debebit juxta profectum ætatis et gratiæ (1).

Alterum opusculum de eadem re compositum inscribitur : *Johannis Gersonii Doctoris et Cancellarii*

1 Op. Gers., III, 233, sqq.

Parisiensis tractatus de Considerationibus quas debet habere princeps. Quod eodem fere tempore, quo *Instructiones...*, fuisse scriptum, verisimile est, quamquam nullum est indicium unde noscere possimus quo anno fuerit editum. Pro certo tamen tenere possumus illud fuisse ante annum 1429 editum, ut patet ex *Instructionum quinta Consideratione* (1), alii Caroli VII^r filio, jam mortuo, dedicatum, atque intra tres dies scriptum (2). Mittitur ad *Serenissimi Principis confessorem*, qui a Gersonio de Delphini institutione consilia postulaverat (3). Dividitur in sex *particulas*, in quibus de boni regis christiani officiis fusius disseritur. Primum, in tribus articulis, declarat Gersonius qua ratione rex, in rebus quæ pertinent ad Deum, ad Ecclesiam aut ad regni imperium, agere debeat : « Animo saepe recogites, princeps, ait Cancellarius, quatuor esse tibi regna, unum supra te, ad quod aspirare, aliud circa te, quod honorare, tertium inter te, quod moderari, quartum super te, quod tueri positus es... Toto virium conatu tendas ad regnum cœleste supra te, colas regnum Ecclesiae juxta te, modereris regnum personale intra te, protegas regnum temporale sub te... Constituitur autem sub te regnum istud in subjectione debita triplicis status principalis. Status unus est militantum, alias clericorum, tertius burgensium. Et haec triplicitas nonne congrua significatione figuratur in triplici litorum flore aureo, scutum tuum quod cœlico nitore

(1) Cf. *Supra*, p. 55.

(2) Op. Gers., III, 226.

(3) *Ibid.*

fulget ornantium (1). » Deinde, in quarta *particula*, docet scriptor quanti regis instituendi referat ut litteris et artibus honestis ornetur. Ante omnia curare debet princeps, ut quotidie, certis horis, librorum lectioni studeat, clarorum scriptorum doctrinis et sententiis animum mentemque nutriat. Præterea Gersonius hortatur regem ut semper omnibus rebus animum intentum præbeat; naturæ spectaculo, picturis, subditorum civium exemplis, ecclesiasticis festis, tanquam libris perpetuo ante oculos apertis, utatur: « Alteram quoque industriam tibi commendabo, ait ille, apud veteres usitatam, qui in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carminibus comprehensa plangebant, quo ad ea imitanda juventutem alaciorem redderent. Quod laudans Valerius, auctor hujus historiæ, proclamat: — Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim! — Hæc fama utinam quoque de Franciæ regno, apud alias nationes, gloriosior esset. Fertur adhuc apud inlytum Ducem Borbonii hujus disciplinæ clarum decus observari (2). »

Tandem, in quinta *particula*, monet Gersonius quibus præcipuis libris sit utendum, ut disciplina regis maxime perficiatur: « Debet, ait Gersonius, magnificentia regalis profusior esse in constitutione Bibliothecæ librariæ cuiusdam domesticæ vel familiaris et quæ portabilis esse posset. » Quare catalogum instituit operum præcipuorum quæ principi sunt necessaria:

(1) Op. Gers., III.

(2) Ibid., III, 231.

Biblia, præsertim quoad historias et documenta
moralia (1).

Postilla de Lyra quæ litteræ magis hæret (2).

Tractatus de Vitiis et Virtutibus in Latino.

Tractatus de Vitiis et Virtutibus in Gallico, quæ
dicitur Summa Regis (3).

Martyrologium Sanctorum quale est apud Carthu-
sienses.

Legendæ Sanctorum et Vitæ Patrum et Speculum
historiale Vincentii (4).

(1) Inter Biblia libri qui a Gersonio, *historiarum et documentorum moralium* nomine, commendantur, numerandi sunt sane *Regum libri*, *Genesis*, *Machabei*, *Judith*, *Esdra*, *Esther*, *quatuor Evangelistæ* et *Actus Apostolorum*, cum ea opera insigniora sint et ab Enea Sylvio postea, in libro de *Liberorum educatione*, citentur. Prohibet Geronius ne Biblia in Gallicum transferatur (Cf. Op. Gers., I, 105, 106).

(2) Postillæ perpetuæ, sive brevia commentaria in universa Biblia. Quod opus a Nicholao de Lyra, decimo tertio seculo, scriptum, primum typis mandatum est anno 1471.

(3) Dificile est asserere quisnam sit hujus operis scriptor, cum multi sint qui de Regum regimine, ea astate, scripserint, inter quos Johannes Golein, cuius tractatus inscribitur *De Informatione principum*, et Vincentius Bellovacensis a Daudin translatus.

(4) Agitur primum de opere a Johanne de Voragine scripto quod vulgo dicitur *Legenda aurea*; deinde verisimile est Geronium, nomine *Vitæ Patrum*, designavisse *Historiam scolasticam* a quodam Comestore, anno circiter 1360, confectam; tandem *Speculum historiale* a Vincentio tertio decimo seculo editum, est quasi summa omnium fabularum aut narrationum, quæ a christianis scriptoribus, decursu temporum, factæ sunt, quibus res ad religionem pertinentes, commentis, prodigiis illustrantur (Cf. *Études sur Vincent de Beauvais*, par l'abbé Bourgeat, 1856). In catalogo librorum cuiusdam Johannis de Badouilliers, initio quinti sexti seculi viventis, *Legenda Sanctorum et Historia scolastica* memorantur ea inscriptione : *Legenda Sanctorum, Historia scolastica, Sopholorium* (sic, pour *Sophologium sapientie*, reliez en trois moyens volumes, 10 s. Cf. *Documents pour servir à l'histoire de la librairie de Paris*, 1486, 1600, par le baron Jérôme Pichon et Georges Vicaire, Paris, Technener, 1895).

Meditationes et Orationes devotæ ut Augustini,
Anselmi, Bernardi et aliorum.

Collectorium quorumdam opusculorum in Gallico
nuper editorum de præceptis Dei, de Examine con-
scientiæ, de Scientia bene moriendi, de Contempla-
tione, de Mendicitate animæ (1).

Sermo de Passione Christi (*Ad Deum radit*).

Sermo de mortuis (*Sancta ergo et salubris*).

Exhortatio, *Vivat Rex*.

Exhortatio, *Fiat pax* (2).

Exhortatio ad Justitiam et Concordiam Jurisdictio-
num ecclesiasticæ et temporalis (3).

Liber Aegidii : de *Regimine Principum* (4).

Libellus de *Quatuor virtutibus* (5).

(1) Haec omnia opuscula neenon duo sermones de *Passione* et de *Mortuis*, confecta sunt ab ipso Gersonio et passim reperiuntur in ejus operibus.

(2) Exhortatio *Fiat pax*, seu *Veniat pax*, a Gersonio quoque habita est, anno 1408, occasione pacis Carnutensis de qua eo tempore agebatur inter ducem Burgundiae atque filios ducis Aurelianensis. In ea enumerantur omnia commoda quæ e pace, sive Ecclesiæ erroribus schismatis laboranti, sive civili imperio, oriri possunt. (Cf. Op. Gers., IV, 625.)

(3) Cf. Op. Gers., IV, 642. Ea oratio cujus thema fuit : *Diligite justitiam qui judicatis terram*, eodem anno 1408, coram rege ora-
ta est, cujus materia in tres considerationes divisa est : « Consideratio prima est cognoscere quæ res est Justitia... Consideratio secunda est cognoscere qui sunt judices et qui terram judicantes, hoc est terreni judices... Consideratio tertia est cognoscere hos qui diligunt justitiam et signare hujus aliqua signa ; deinde descendere ad casus particulares. »

(4) Egidius Guillaume d'Auvergne, Parisiensis episcopus, plu-
rima scripsérat opuscula, ineunte decimo tertio seculo, inter quæ
fuit illud opus de *Regimine principum*.

(5) Liber Senecæ de *Quatuor virtutibus* recenter 1403 a Johanne
Brevis Coxæ, Gersonii æquali et amico, translatus erat.

Economica, Ethica et Politica Aristotelis translatæ in Gallicum (1).

Valerius Maximus et Frontinus, *de Stratagematis bus bellicis*.

Sallustius; Vegetius, *de Re militari* translatus.

Boetius, *de Consolatione*.

Seneca, *de Clementia*.

Item vulgati auctores, Cato, Theodulus, Esopus, cum similibus, translati.

Item *liber de Sphera*.

Item *Chronicæ Francorum*.

Item Titus Livius.

Item Suetonius, *de Duodecim Cæsaribus*.

Item Augustinus, *de Civitate Dei* translatus et expositus (2).

Pleraque certe consilia, quibus ea disciplina constituitur, ad filium registantum potius quam ad omnes

(1) Omnes isti libri translati erant in Gallicum a Nicholao Oresmensi (Nicole Oresme). Cf. de his variis translationibus, L. Delisle, *Le Cabinet des MM. de la Bibliothèque nationale*, Paris, 1869-1881. *Histoire littéraire*, XXXI, 35-50. P. Paris, *Les manuscrits français de la Bibliothèque du Roi*, I, 236-244.

(2) Pleraque horum operum a Gersonio commendatorum, jubentibus regibus, nuper translate erant : *Facta et dicta memorabilia Valerii Maximi*, a Simone de Hesdin et Nicholao de Gonesse, 1401; *Seneca*, a Laurentio de Premierfait; *Vegetius*, a Johanne de Meung, 1284; *Boetii de Consolatione* ab eodem Johanne de Meung; *Titus Livius*, a quodam Petro Berchorio (1351-1360); *Augustinus*, a Radulpho de Presle, etc.

Liber de Sphera, qui Nicholao Oresmensi tribuitur, est compendium omnium doctrinarum, quæ tunc vulgatae erant de constitutione mundi. Cf. Francis Meunier, *Essai sur la vie et les ouvrages de Nicole Oresme*, Paris, 1857. — *De Chronicis Francorum*. Cf. Buchon, *Chroniques nationales françaises du XIII^e au XVI^e siècle* (1824-1829).

pueros spectant. Vult certe Gersonius, dum has considerationes varias scribit, Delphino atque ejus præceptoris præbere regulas, unde perfecta regalis institutio, sive quoad litteras, sive quoad mores, confici possit; attamen verisimile est in animo quoque habuisse Cancellarium ea occasione uti, quo facilius omnibus paedagogis præcepta sua commendaret. Etenim, quemadmodum Eneas Sylvius postea, dum ad Ladislauum Ungariae et Bohemiæ regem tractatum *de Liberorum educatione* mittit, regulas simul omnibus perutiles tradit, ita Gersonius non semel sententias ac disciplinæ rationes profert, quæ magis omnibus præceptoribus et discipulis quam soli regis filio sint adhibendæ. Gersonio enim, cum jam senescat, placet in memoriam referre atque aliis tradere quidquid e longa studentium familiaritate et usu didicerit, quamque puerorum instituendorum rationem maxime idoneam putet. Nonne, exempli gratia, omnibus pueris adulescentibusque confessus est ille *Instructionum* articulus IV, in quo Gersonius, ante Montanium, docet juvenes « cum affabilitate gravi et affabili gravitate » esse formandos et instruendos, quod pueri non vi aut præceptis trahantur, sed amore, fide mutua ac patientia ducantur? (1)

Eadem quidem ratione catalogum confecit librorum Regi legendorum; etenim, præter opera in quibus ex professo de Regum virtutibus atque officiis disseritur, sunt multi alii tractatus qui omnibus commendandi sunt, quos Gersonius memorat, sive

(1) Cf. etiam Considerationem VI^{am}, VIII^{am}, IX^{am}, etc.

quod recenter confecti aut translati sunt, sive quod sententiarum sublimi elatione aut doctrinarum sapientia potius quam novitatibus et curiosa eruditione conspicui sunt.

Principes sane atque nobiles si doctiores evaserint, omnibus Reipublicæ partibus lumen clarius lucebit, quod ipsa plebs, procerum exemplo, ad scientiarum studium trahetur. Vult tamen Gersonius populum propria disciplina educari. Quapropter, quantum potest, operam dat ut sermonibus, tractatibus populum a falsis astrologorum magicorumque doctrinis defendat; mulierum præsertim artibus obstat, quæ falsis prodigiis, deliramentis aut somniorum interpretationibus decipere animas simplices et credulas tentant (1). Præterea, in *Sermone de Officio Pastorum*, instanter episcopos rogit, ut homines probos, eruditos tantum eligant, qui populo doctrinam sanam prædicent. Melius est enim doctos quam multos esse prædicatores: « Advertas proinde quam pauci sunt sermones in tam multis, multis inquam numero, sed perfectionis laude rarissimis. Quare, quia adulteratur verbum Dei atque corrumpitur, dum vel quæstus æstimatur pietas, vel dum miscentur errorum mala semina, vel inutilia, steriliaque narrationum frivolarum zizania superseminantur. Ita profecto cura vigilantior apud quosdam ex prælatis habetur in eligendis mercenariis pro cultura

(1) Cf. *Judicium de Vita sanctæ Erminiæ*, Op. I, 84; *Tractatum de Distinctione verarum visionum a falsis*, I, 43; *Tractatum de Probatione Spirituum*, I, 37; *Trilogium Astrologiae Theologizatae*, I, 189; etc. Cf. Op. Gers., I, 208, 210, 220, 226, etc.

agrorum suorum, quam habeant in electione bonorum Prædicatorum pro cultura spirituali animorum (1). » Difficillimum enim est prædicatione populum docere : « auditorum quidam hebetes sunt, quibus pene nihil potest quantacumque prolixitas decies repetita inculcare » ; quidam contra leviores sunt ingenio nec possunt de eadem re cogitare diu, adeo ut fastidiant si orator articulo obscuriori nimis hæreat. Majore quoque obstaculo impediuntur audientes, præsertim mulieres et pueri, quin a prædicatore edueentur, cum quidquid audierint non ad veritatis argumentum, sed ad suam mentem vertant. De quo audiamus Gersonium ipsum cum strenua arte depinxerit hoc vitium : « Quam paucissimos insuper videbis auditores qui fideliter et diligenter attendant ea quæ dicuntur, qui non ea quæ audierint, sed quæ audire putaverint trahant ad sua desideria fovenda, potius quam eradicanda, seu moderanda. Vertitur eis verbum Dei in proverbium et fabulam, trahunque illud ad omnem partem contradictionis, sicut de sono campanarum agunt pueri. Sicut etiam in fabulis de lupo syllabizante narratur, qui, audiens *pa* et *ter*, disjunxit ex his *A* — *yne*. Quare? quia sic in imagine sua versatur (2). »

Itaque, cum res ita se habeant, necesse est, ut malum radicitus extirpetur, parvulos ipsos nova institutione ab istis erroribus præservare. Curent igitur episcopi ut, in omnibus parochiis, sint scholæ

(1) Op. Gers., II, 545.

(2) Ibid., II, 546, 547.

ad usum parvolorum, et bis ludis magister probus et doctus præficiatur (1); carent etiam « tractatuli » in lingua vernacula pueris studentibus parentur. Jam, ab anno 1400, in *Epistola de Reformatione Theologizæ* ad Petrum Alliacensem Brugis missa, consilium inierat Gersonius tractatulorum a doctrinibus Theologiae facultatis conficiendorum, quibus pueri et « simplices » res religiosas facilius docerentur (2).

Eo autem animo plurima scripsit opuscula, quæ curatis paedagogisque maximo studio commendavit, cum eorum usu promptius fideles et pueri docerentur. Quorum libellorum præcipuum est *Opus tripartitum*, primum gallice scriptum, deinde in latinam linguam translatum, in quo insigni brevitate disseritur de Septem Sacramentis Ecclesiæ, de arte audiendi confessiones, et de quibusdam fidei et morum documentis (3). Vult præterea Cancellarius

(1) *Sermo de Visitatione prælatorum*, II, 558 et sqq.

(2) Cf. Op. Gers., I, 123 : « Item expediret, sicut olim, tempore quarundam pestilentiarum, Facultas medicorum composuit Tractatum ad informandum singulos, ita fieret per facultatem vel de mandato ejus, aliquis tractatus super punctis principalibus nostræ religionis et specialiter de preceptis ad instructionem simplicium, quibus nullus sermo, aut raro, aut male fit. »

(3) Compendium ipse confecit Gersonius horum tractatulorum cui inscriptum est : *Instruction des Curez pour instruire le simple peuple. Il est enjoint à tous les Curez, Vicaires, Maistres d'Écoles, d'Hospitaux et autres d'avoir ce présent livre et de le lire souvent au simple peuple pour l'instruction d'iceux.* Quem quidem libellum legere et ejus doctrinam memoria retinere ab episcopis, in plurimis diocesibus, commendatum est, ut patet ex admonitione cuidam editioni, apud Jacobum Kerner, anno 1575, typis mandatae, præmissa.

hujus libri doctrinam tabellis inscribi, « in locis communibus, utpote in parochialibus ecclesiis, in scholis, in hospitalibus, in locis religiosis affligi ». Quo autem facilius omnes hanc christianaë religionis summae disserent, plerumque Cancellarius orationis solutæ loco, versibus usus est. Qua ratione decem Dei præcepta imprimis illustrantur :

En un Dieu tu croiras,
Celuy tu serviras,
Par grand humilité
Son nom sanctifieras
Par lui ne jureras
S'il n'est nécessité, etc.

Quod ad pueros instituendos præsertim attinet, Gersonius, cum Ecclesia Parisiensis canonicus esset, confecerat ipse tractatum, quo consignatae erant regulæ præcipuae pueris collegii cathedralis instituendis utiles. Qui libellus monitis paternis et doctrina, pro tempore, exquisitissima respersus est: præterea multa in eo et curiosa reperimus de officiis magistrorum quibus commissum fuit grave et sacrum parvolorum educandorum onus. Inter cetera hortatur Gersonius « magistrum Grammaticæ qui pro institutione puerorum in Grammaticalibus et Logicalibus institutus est » ut, tam moribus quam doctrina, sit conspicuus, cum puer libentius a viro honesto omnia discat. Præter versus, logicam et grammaticam, magister pueros doceat, statutis quidem horis, cantus varios, « plenum cantum principaliter et contrapunctum et aliquos discantus hones-

tos, non cantilenas dissolutas impudicasque nec faciat eos tantum insistere in talibus quod perdant in Grammatica profectum ». Vult quoque Cancellarius quotidie fieri pueris Ecclesiae Cathedralis « Epistolarum aut Evangeliorum grossam expositionem in lingua vulgari » quia, quod non intelligitur, nunquam apte et secure pronunciatur, nec inde mens ad res religiosas incitatur. « Est autem, ait Gersonius, hora magis solita pro talibus de mane usque ad prandium, et de reditu Vesperarum usque ad cœnam, aut amplius, secundum temporum qualitatem aut necessitatem. »

Cum de libris pueris legendis agitur, non vult Cancellarius « quosecumque legi auctores, qui plerumque magis obsint moribus, quam prosint ingeniis. Oportet maxime, inquit, ut legat unus puerorum semper in qualibet comedione de aliquo libro utili et tunc ceteri abstineant a colloquiis; ut impleant illud : *pauca in convivio loquere* (1). »

Hoc vero pueris instruendis maximum erat impedimentum quod libri erant rarissimi et majoris pretii quam ut omnibus studentibus, saltem pauperibus, prompti essent. Cui vitio, quantum potuit, remedium præbuit Gersonius. Opuscula multa et brevia ipse composuit, tum gallica tum latina lingua (2), nonnulla e latino in gallicum transtulit,

(1) *Doctrina pro pueris Ecclesiae Parisiensis*. Op. Gers., IV, 717, sqq.

(2) Præter epistolas quas sororibus scripsit et tractatus quos jam citavimus, opera præcipua a Gersonio pauperibus aut parvulis erudiendis confecta, sunt : *Le Traité de la Mendicité spirituelle et la Montagne de contemplation*, gallice scripta, ambo Bru-

plurima propria manu scripsit: religiosos incitavit non semel ut libris consciendis, temporibus otiosis, indulgerent (1).

Anno autem 1428, praeclaram dissertationem de *Laude scriptorum* ad Fratres Coelestinos et Carthusienses misit, in qua declarabat licitum esse, diebus festis, scribere libros devotionis gratia, quod scriptor, « dum hunc laborem exerceat, praedicat, studet, orat, ecclesiam ditat et armat, omnibus denique operibus ad honorem Dei spectantibus sese utilem præbet ». Quo in opusculo docet quoque scriptores

gis composita sunt, cum morbo affectus erat Cancellarius : doctrinam mysticam continent qua illiterati ac devoti homines facile evehendi sunt ad virtutum christianarum culmen : *Le Livret de Jésus, lequel contient la doctrine nécessaire à tous chrétiens. Notre Père, Je vous salue Marie, Credo, plus les dix commandements.* in quo duodecim Christianæ doctrinae articuli versibus exponuntur :

Les douze articles de foi
Doit chacun savoir et tenir,
Car aultrement selon la loi
Ne peut en Paradis venir.
Je crois en un seul Dieu le Père
Tout-puissant, sans raison enquerre, etc.,

A, B, C, des simples gens, cujus initio haec admonitio inscribitur : « Entendez-vous, petits enfants, fils et filles et austres gens simples, je vous escripray en francois cet A, B, C, etc. »: in hoc compendio brevissimo reperiuntur orationes quas imprimis christiani recitare solent, *Pater noster, Ave Maria, Credo*; deinde enumerantur brevi decem decalogi præcepta, septem virtutes, septem dona Spiritus Sancti, Octo beatitudines, septem opera charitatis quæ ad animam attinent, et septem quæ ad corpus, septem ecclesiastici ordines, etc. Præter eos tractatus generales sun' plurimi alii in quibus de rebus moralibus præcipue disseritur : *Compendium theologiae; Regular morales, librum de Distinctione peccatorum mortalium a venialibus, Contra recidivum peccati.* Cf. Op. Gers., Tome II, *passim*; Bibliothèque nationale, m. m. 24,867; 4,861; 4,268; 25,551, etc.

(1) Op. Gers., II, 549.

quibus dotibus sint ornandi ut opus utile perficiant: scribam definit « magistrum in eis quæ sunt divinae legis eruditum, scilicet scrutatorem vel conquisitorem aut etiam dictatorem ». Queritur quod saepius indoctus sit aut parum de exacta perfectione curet; cuius ignorantia et neglegentia volumina « adeo mendosa sunt, ut consultius esset nulla quam talia ministrari, cum litteris inconditis, sine lege, sine ordine. » Quin imo existimat Gersonius his scriptorum vitiis studia sæpe pejora facta fuisse in collegiis et Universitatibus. Quare vult scriptorum visitatores instituere « sicut in artibus mechanicis, ne fraud inducatur in operationibus. Quis enim tulerit, ait, opus pretiosissimum expers esse visitationis, ne corruptio serpat jugiter in deterius. Sic olim, apud Sanctos Patres, habebatur electio super scriptoribus, nec passim admittebatur indoctus vel doctus, sed usque ad punctorum formationem, qui lucem magnam dant legentibus, examen habebatur. » .

Non solum libri religiosi sed etiam profani scribendi sunt, præsertim ii qui a scriptoribus antiquis confecti fuerunt, cum « salubriora plerumque sint scripta vetera quam dictamina novellorum ». Attamen novi etiam sunt conficiendi, quibus errores recentiores redarguantur et varia hominum studia pro diversis temporibus, congruis doctrinis informentur.

Quapropter necesse est quam multi clerici scriptores sieri non dubitent : « Provideant igitur superiores in Universitatibus studiorum, in cœnobiis seu monasteriis religionum, in collegiis Ecclesiarum, maxime cathedralium, nedum librarias habere, sed

scriptores de suppositis suis instituere, cum relaxatio-
nibus onerum ceterorum congruis, aut cum sti-
pendiis opportunis (1). »

Dum hæc scribit Gersonius, non solum in animo
habuit indoctos aut parvulos in litteris instituere,
sed imprimis Universitatum ac Collegiorum studia
varia promovere et reformare. Quod opus maxima
diligentia, quandiu fuit Cancellarius, prosecutus est.
De eo multa et gravia non semel studentibus, paedag-
ogis atque magistris scripsit aut oravit. Innumera
enim et quasi consuetudine indurata erant vitia in
omni genere scientiarum : non jam hæc sententiae
elatae quæ animum alunt, intellectum ampliorem
atque acutiorem reddunt, studentibus a magistris
doctis et prudenti apientiae conspicuis propone-
bantur, sed tantum verba nova, curiosa, quibus
quasi flatu otioso aures percutiebantur. Vacuis ple-
rumque disputationibus quæ, seu inter discipulos
ipsos, seu inter discipulos ac magistros, seu inter
ipsas facultates oriebantur, tempus consumebatur.
Inde simultates et rixæ plurimæ quæ, ignorantia
pertinaci, aut superbia aut invidia eujusque partis,
semper renascebantur.

Gersonius, cum omnibus eruditionis generibus
studuisse, majorem habuit auctoritatem apud ma-
gistros. Quare non dubitavit omnibus in memoriam
referre quam libera mente omnes scientiae essent
inter se conciliandæ. His qui, magis incauta curiosi-

1 *Johannis Gersonii De Laude Scriptorum ad Fratres Celestinos et Carthusienses.* Hic tractatus invenitur in Appendice Operum Suarez in Bibliotheca Mazarina, n° 2756.

tate quam sincero veritatis amore impulsi, debile ac vetustate corruptum quidquid docuerant majores existimabant, respondit scientias, non verborum garrulitate, sed mentis longa meditatione esse constituendas; non tamen, tanquam vana et examinatione indigna, rejicit omnes novitates; non semel Raymundum Lullium novatorem ejusque doctrinas laudavit(1); curiositatem vero nimiam ac singularitatem scholasticorum, in duobus *Lectionibus*, Navarrae habitis, insectatus est (2), in quibus pugnavit præsertim contra Theologos subtiliores, qui inanes ac plerumque absurdas theses confirmare captiosis argumentis conarentur, et istius modi perlinacibus disputationibus studentium seditiones commoverent: « Aranearum tela, inquit orator, quid subtilius, verum quid inutilius invenitur? Discamus non tam disputare quam vivere, memores finis nostri (3). »

Quorum Theologorum strepitū vacuo non semel dissensiones diurnæ ortæ sunt inter varias Universitatis Facultates (4). Quidam enim, syllogismorum fumo necnon eruditissimæ ignorantiae fatua superbia obsecrati, proclamabant Theologiam esse universalem et unicam scientiam addiscendam, ceteras proinde facultates e medio tollendas, tanquam inutiles et perniciosas. Quibus obstitit Cancellarius, in

(1) Op. Gers., I, 43, 82, 103, etc.

(2) *Duae Lectiones contra vanam curiositatem*. Op. Gers., I, 86, 94.

(3) Op. Gers., I, 104.

(4) « Revocet memoria priores actus consimiles pro Theologis, pro Medicis, pro Artistis, recordari poterimus quid egerit livor edax, pestis improba, laudis alienæ cuiuslibet impatiens... » Op. Gers., IV, 705.

variis *Collationibus*, quas oravit coram studentibus ad licentiam promovendis, tum in Facultate Decreto rum, tum in Facultate medicinæ (1). Theologiam sane, utpote qui omnes doctrinas existimet a revelatione divina manare, scientiarum omnium reginam et quasi fontem prædicat; affirmat tamen jus, sive canon icum, sive naturale, aut civile, esse verum ac legitim um scientiæ argumentum; quin imo ipsi Theologiae auxilium et ornamentum plurimum confert Decreto rum eruditio; quare « concludimus, ait Gersonius, quod Theologiam a Canonibus excludere nihil aliud est quam suos oculos sibi evellere; similiter Cano nes velle destruere est corpus proprium politiæ deformiter habituare. Quærere præterea qualis scien tia plus expediatur politiæ vel Evangelica, vel Cano nica est quærere quod in corpore membrum ad directionem suam plus exponitur, vel oculus, vel aliquod aliorum (2). »

Quam quidem sententiam multis rationibus illus travit Cancellarius, dum, in *Collatione*, cuius thema fuit : *Par robis, sicut misit me Pater et ego mitto vos* (3), ostendit quot et quanta commoda Canonista rum cœtus, temporum decursu, Ecclesiæ universæ attulisset, cum hereticos extirpavisset, mores com posuisset, injurias propulsavisset. Non negat tamen

1 Johannis Gersonii Doctoris et Cancellarii Parisiensis Recommen datio Liventiandorum in Decretis. — Alia collatio pro Facultate Decreto rum. — Oratio pro Licentiandis in Medicina. Op. Gers., IV, 686, 704, 712.

(2) Op. Gers., IV, 702.

(3) Ibid., IV, 703.

Juristarum disputationes saepius de rebus otiosis aut subtilissimis fieri, studentium proinde ingenium, legum exigua et aridiore interpretatione, plerumque enervari aut dissolvi : « Sed unde precor hæc omnia, animadvertisit Gersonius, nisi quia demerguntur homines ad nimiam considerationem terrenarum administrationum : unde grossescit ingenium, gravatur memoria, contenebratur et languet affectus. Vide, si vis, aliud noverit quidam eorum cogitare quam super his allegationes allegationibus addere, mittere, remittere, nec credere cuiquam veritati, vel notissimæ nisi per expressum scriptum ostenderit. Audisti pridem quam faceta dicacitate improperabat Cardinalis Ambianensis Ebredunensi : Si hunc, inquit, demersum in luto moneret aliquis surgere, hoc ipse non faceret sine lege, vel Canone ; diceret, erubescimus sine lege loqui, quanto minus illud, vel illud operari (1). »

Ob easdem rationes Medicinæ facultatis errores insectatus est, cum medici plerique, rebus corporalibus nimis intenti, animi disciplinam tanquam inutilem haberent ; attamen non is est qui his humilioribus studiis quoque laudes dignas non impendat. Quare in oratione, de qua mentionem supra fecimus, demonstrat medicinam, rite intellectam, legitimam et maxime probandam esse, cum corpori et ipsi animæ hominum plurima commoda conferat.

Omnem enim et quamlibet scientiæ disciplinam existimat Gersonius ad mentem acuendam et insti-

(1) Op. Gers., IV, 706, 707.

tuendam esse idoneam, nullam tamen omnino sufficere, cum intellectus variis modis et diversis exercitationibus sit ampliandus et educandus, ut de omnibus prudenter ac juste judiceat. Quam sententiam non semel expressit in variis tractatibus aut orationibus, sed non incertis verbis declaravit in *Collationibus* quas pro « Licentiandis » habuit : « Quippe grossescit quodam modo ingenium dum sola grossa et palpabilia studio continuo considerare sueverit. Docent hoc illi qui tempus in Grammaticalibus rudimentis et similibus diu contriverunt : eos enim rarissime postmodum vidimus ad liberales artes idoneos (1). »

Inter scientias tamen, eae quae sublimiores sunt aut de rebus abstrusioribus tractant, plus valent ut ingenium, ipsa rerum difficultate, acuant et perficiant, cum longa meditatione sint necessario intellegenda : quare fit ut qui, exempli gratia, philosophiae plurimum studuerit, facilius inde ad quæstiones grammaticales accedat : « Subtiliatur plurimum et habilitatur animus, dum ad principia prima subtilia, pura et abstracta primitus semetipsum sedulo converterit. Hinc fit ut studiosi scientiæ superioris longe clarius et acutius (etsi non promptius) traditiones inferiorum scientiarum subalternatarum examinare, discutere, cognoscere, interpretari et resolvere valeant, si ad illas suam dederint considerationem et non aliunde depravatum habuerint judicium, quam illi qui tales subalternatas scientias primo

¹ *Collatio pro Licentiandis in Decretis...* Op. Gers., IV, 701.

didicerint, ita ut, exempli gratia, facilius sit ex Theologo puro fieri canonistam perfectum, quam in Theologum probatum Canonum studiosus evadat (1). »

Quapropter, quamvis inanes videantur Metaphysicorum et Logicorum disputationes, non negat Gersonius, ex his studiis ipsis, mentis aciem plerumque ad ceteras difficultates solvendas magis idoneam fieri (2). Itaque non solum non improbavit doctrinas quae omnium maxime « contemplativae » dicuntur, sed etiam consecit ipse doctissimos tractatus, in quibus de rebus theologicis subtilissimis aut de rebus metaphysicis obscurissimis disseruit. Inter alia (3) præclarissimum de *Modis significandi* opusculum, cuius pars posterior Lugduni, anno 1426, scripta est, in quo de *Terministarum*, *Realistarum* et *Formalizantium* dissensionibus, ingenio acuto, multa et sana consignavit, omniumque errores strenue detegit ac refutavit.

Quibus nihilominus gravissimis studiis non impeditus est Gersonius, quin levioribus litterarum curis indulgeret et scriptoribus aut doctoribus commendaret, quanti ad sententiarum ipsarum lucidam expositionem referret oratione eleganti res, etiam maxime elatas, circumscribere ac definire. Cujus scribendi ratio, cum saepius in orationibus aut sermonibus diffusa sit, plerumque concisa et concin-

(1) Op. Gers., IV, 701.

(2) Op. Gers., IV, 817, 819, 820.

(3) Horum operum præcipua sunt : *Centilogium de Conceptibus*; *Centilogium de Causa finali*; *De Modis significandi*; Cf. Op. Gers., IV, 549 sqq.

na sit, cum de Philosophia aut Theologia disseritur. Maximum sane scribendi vitium, eo tempore, fuit verbis inusitatis, curiosissimis uti, ad omnes sententias explanandas; cuius vitii seipsum non inexpertem suisse fatetur Gersonius (1), sed discipulos immunes esse vult. In *Lectione* enim quadam *contra vanum curiositatem in negotio fidei* facta, queritur quod Theologi existiment *latinitatem* seu « stylum eo pulchriorem esse quo difficiliorem, et quo turgidorem, et, ex consequenti, vitiosiorem quo elegantiorem (2) ».

De eadem re misit quoque ad Theologos Collegii Navarrae epistolas, dum Brugis habitat: « Scribimus, inquit, sed absque pondere sententiarum, absque numero, et mensura verborum; est enim quod scribimus floccidum, illiberale, fluidum. Scribimus non nova sed antiqua noviterque versando et transmutando, dum nostra conamur efficere prava reddimus et inepta, quasi videlicet juxta vulgare proverbium fossatorum veterum quae solida sunt non tam reparatores quam demolitores (3). »

Nemini quidem videri potest dubium esse quin studiosissime Gersonius, quamdiu vixit, principum

(1) « Cogor laborare pro curiosis sermonibus quibus absque adificationis fructu maxima temporis pars absumitur... » *Joh. Gers. Doctoris et Cancellarii Parisiensis... Causa propter quas Cancellariam dimittere nolebat.* Op. IV, 725.

(2) *Op. Gers.*, I, 105.

3 *Epistola Gersonii, quid et qualiter studere debeat novus Theologix auditor et contra curiositatem studentium.* *Op. Gers.*, I, 106; Cf. alias epistolas praeſertim ea quae ad Petrum de Alliaco mittitur de *Reformatione Theologiae*. *Op. Gers.*, I, 120.

et plebis, sed maxime puerorum et studentium ingenia illustrare doctrinis, pro tempore optimis, conatus sit, dederitque pædagogis et magistris multa et doctissima consilia quæ, si ad mentes alendas scientiæ providæ alimento non satis contulerint, aptissima tamen plerumque fuerint et ad propulsandos errores et ad famem curiositatis satiandam. Quod si, e tantis conatibus et industria, fructus copiosiores non nati sunt, ea causa est quod disciplina ipsa scholastica obsoleta et exhausta erat, nec ausus est Gersonius eam repudiare, aut forte non intellexit institutiones istius modi, ubi rerum processu infirmantur, nullo remedio posse restitui, sed integra et nova institutione recreandas esse. Ceterum, tanta doctrinarum confusa implicatione mentes obcaecatae erant, tanta etiam omnium rerum profunda perturbatione enervatae, ut nullum jam videretur remedium efficax quod præberi posset, Gersonius saltem sensit, in tanto omnium rerum discrimine, scientias, artes et ipsam intellectus disciplinam jam a nova puerorum instructione esse reformandas; ideo cum ad hoc opus eximum perficiendum deditus esset, omnium certe laudes meruit.

CAPUT QUARTUM

QUA RATIONE VOLUERIT GERSONIUS MORES REFORMARI,
PUEROSQUE AD CHRISTUM TRAHI

Gersonii frater, ordinis Cœlestinorum monachus, de Johanne nostro hæc scripsisse fertur cuidam Anselmo fratri ejusdem societatis : « Assecutus doctrinam et moribus piis adornatus, dilectus frater bonos jure coluit, toleravit malos, veritatem promovit, errores est persecutus (1). »

Ea enim fuit Gersonii constans opinio doctrinam, artes, studia litterarum, quæcumque denique ad mentem ornandam pertinent, etsi plurimum ad naturam hominis perficiendam conferunt, hæc omnia tamen plerumque non sufficere ut vitia compescerentur, mores corrigerentur aut damna pessima a civibus averterentur. Existimabat enim Cancellarius litteris mentes potius delicatas et resolutas quam fortes fieri; quare necessarium putabat voluntatis vires et affectus exercitatione, consiliis, persuasione esse firmandos, cum studiis litterarum sæpius animi lacerti debiles fierent et frangerentur. Qua de re

(1) *Epistola Fratris Johannis de Gerson, ordinis Cœlestinorum, directa Fratri Anselmo ejusdem Ordinis, super Opusculis Johannis Gerson, Cancellarii Parisiensis.*

sententiam sancti Bonaventuræ, tanquam insignem atque omnibus probandam habebat, qui « doctrina et orationis alacritate » simul intellectum erudire vellet atque affectum inflammare (1); dicere enim solebat Cancellarius « colendum sic esse intellectum ut incultus et aridus minime desereretur affectus, sed transiret in affectum cordis (2) ». Itaque solebat irridere hos subtiliores doctores qui, nimio curiositatis studio ducti, unum hominum opus esse putabant, grammaticalibus aut theologicis disputationibus incumbere; quos, post Senecam (3), his verbis redarguebat : « Discamus non tam disputare quam vivere, memores finis nostri (4). »

Omnia enim quaecumque discunt homines inutilia aut etiam periculosa fiunt, nisi ad eorum facultates lege divina componendas vertunt; est enim intellectus instituendi modus eximius, quem soli experti, ait Gersonius, plane concipiunt : « Datur cognitio non declarativa et illustrativa, sed in experimento consistens et affectu, quam nemo novit nisi quis accepit (5). »

Quapropter, cum ipse ceteris instruendis se dedisset, non argumentis tantum, ratiociniis aut dissertationibus doctissimis usus est, ut discipulis vivendi recte et pie legem induceret, sed disciplinæ ampliorrem rationem adhibuit, qua simul et voluntatem

(1) Cf. Op. Gers., I, 119.

(2) *Ibid.*, I, 110.

(3) *Docemur disputare non vivere*, Seneca, *Epist.* 95.

(4) Op. Gers., I, 104.

(5) *Ibid.*, I, 59.

firmaret et virtutum calendarum praecepta præberet.

Persuasum enim sibi habet, nisi scrupulosa et diligenti educatione, homines ad honestæ et christianaë vitæ culmen non posse perduci, cum ipsorum natura sit ad malum promptissima « ex quo mens humana puritatis auctorem in primo parente deseruit ¹⁾ ». Itaque « Turelupinis » fortiter obstitit Gersonius, qui docerent pueros nulla lege esse instituendos, præsertim cum essent ex parentibus christianis nati, et in multis locis operum, probare conatus est maxime referre parvulos, statim a tenera aetate, bonis exemplis et doctrinis sanis institui ⁽²⁾.

In *Consideratione* tertia hujus insignis opusculi de *Parrulis a Christum trahendis*, quod tanquam totius disciplinæ christianaë hujus temporis summa merito reputanda est, ipse nos monet præclarus Cancellarius quibus rationibus et exercitiis præcipue adulescentes sint ad morum bonorum perfectionem adducendi, *prædicatione* scilicet *publica*, *magistrali disciplinatione* et tandem *secreta admonitione* præsertim « in confessionis exercitio ³⁾ ». Quibus quidem operibus maxima cura incubuit, quandiu vixit, Gersonius.

Jam antea memoravimus quanta sollicitudine sermonibus, collationibus, colloquiis intimis, parvulos, adulescentes, studentes præsertim, tum Parisii, tum

(1) Cf. Op. Gers., III, 720.

(2) De ea re confer præsertim *Tractatum de Parrulis...* Considerationem primam, Op. Gers., III, 279, et *Responsionem ad Scripta cuiusdam errantis de Innocentia puerili*. Op. Gers., III, 293.

(3) *De Parrulis...* Op. Gers., III, 282 sqq.

Lugduni allocutus esset; non minore autem diligentia et industria operam dedit, ut auctoritate magistrali uteretur, quo facilius vitia omnia extirparet, sive errores aut falsas doctrinas redarguendo, sive nutricum et pædagogorum et scriptorum corruptos habitus corripiendo. Quoties agitur de parvolorum commodis, nihil eum fugit: in publico sermone, contra *Gulam* habito, nutrices hortatur, ut vino puro abstineant, nec potu nimio aut acriore utantur, cum inde lac corrumpatur infansque vitium grave trahat (1); vult contra mulieres prægnantes et nutrices cibis opimis, sanis ac facillimis ad concoquendum ali ac sustentari. In alio loco, vetat puerorum institutores coram parvulis, gallinas aut lepora trucidare, ne, eo crudeli exemplo, juvenes, a pueris, savios et atroces mores induant (2). Parentes vero, quoties fert occasio, animo irato reprehendit, quod magistrorum pædagogorumque conatus exemplis, dictis aut consuetudinibus pessimis irritos reddant. Statuerat quidem, disciplinam pro pueris Ecclesiæ cathedralis Parisiensis confiando, ut unusquisque parvulus in proprio cubili cubaret, nec ad alia transiret; quare vellet omnes parentes, etiam pauperes, eadem sollicitudine curare, ut liberi, maxime si sint utriusque sexus, nunquam eodem lecto uterentur (3). Expertus enim erat quantis inde damnis parvuli plerumque obnoxii essent. Magna quidem et profunda fuit, eo tempore, etiam

(1) *Sermo contra Gulam...* Op. Gers., III, 903.

(2) Op. Gers., III, 908.

(3) Cf. Op. Gers., III, 925, 930.

apud parentes morum corruptela, cum hæc scribere Gersonius non dubitaverit : « Scandala operum et verborum, quæ palam et directe tenduntur adulescentium pedibus, nemo non intelligit. Sunt enim qui glorianter non solum cum male fecerint et erulant in rebus pessimis *Prov.*, II, 14., sed diabolica perversitate... ad nihil aliud intendere videntur quam ne soli pereant. Talem enim Catilinam passa est Romana respublica et nunc plurimos experitur Ecclesia : *Excavavit enim eos malitia eorum (Sap., II, 21)* ut a Fide discedant, et ut, dati in reprobum sensum, agant ea quæ pridem Apostolus, ad Romanos scribens, enumeravit, et (quod vix ullus credere poterit), longe deteriora et abominabiliora. Nec sufficiunt suæ damnatissimæ perditissimæque perditioni extranei et proiecti : ipsi nulli proximitati sanguinis, nulli innocentiae et angelicæ puritatis ætati, nulli parti sanctissimæ parcunt, quin omnia foedent, omnia commaculent execrandis flagitiis (1). »

Longe antequam hanc puerorum miserandam sortem doluerat, a potestate publica non semel postulaverat, ut lege quidem et poenarum apparatu omnes isti adulescentium corruptores cohíberentur, cum jam, apud eos, nullam vim haberet neque virtutis veneranda majestas, neque turpissimorum sceleorum odiosa perversitas. Quarum *Expostulationum* unam insignem habemus (2, in qua Cancellarius

(1) *De Parrulis...* Op. Gers., III, 280.

(2) *Johannis Gersonii Expostulatio ad Potestatem publicam a Iversus corruptionem juventutis per lascivas imagines et alia hujus modi.* Op. Gers., III, 290 sqq.

monet aperte a potestate civili et ecclesiastica puniendos esse eos, qui parvulos corrumpere tentant lascivis picturis aut obœnisi imaginibus. Cum majorum auctoritate probaverit quanta reverentia colendum esset parvulus, indignatur quod ab omnibus, etiam a parentibus, et a magistris, ad malum trahantur pueri : « Heu nefas horridum ! initiati sunt per impias matres, aut ancillas lubricas et delire aridentibus perditissimis patribus, nunc in cantilenis et gestibus et habitibus obœnissimis, etiam apud ecclesias aliquando et diebus et locis sacratissimis, nunc in aliis multis abominandis, quæ nedum scribere sed cogitare turpissimum est, ipsas enim Sodomam et Gomorram exuperant. »

Cum undique hæc pestis animos peccatorum luto obrueret, longaque vitiorum induratione, irritæ jam factæ essent et prædicationes publicæ et admonitiones secretæ, principum esse existimabat Cancellarius malorum contagionem coercere, ne, intra breve tempus, tota respublica magno periculo laboraret. Quare his verbis eos allocutus est : « Per si quid Christianitatis decori, immo totius Reipublicæ conservationi compatiendum est (per talia quippe labefactatur ab ira Dei desuper et deorsum omnis politia suprema), supplicamus et obtestamur, apud te, o Potestas publica, ad amputationem tam multiplicis et teterrimæ confusionis (1). »

Eodem fere tempore quæsivit qua ratione posset padagogos ipsos incitare quo diligentius de pueris et

(1) Op. Gers , III, 290, 291.

adulescentibus ad bonos mores informandis curarent; ejus vero conatus, ob eorum superbiam vel soridam avaritiam, perierunt. Queritur enim ipse, in *Epistola ad Studentes Collégii Navarræ*, anno circiter 1403 scripta, quod major sit pædagogorum numerus, insuper quod plerique eorum sint ignari, corrupti, neglegentes officiorum suorum, lucri avidiores: « Vel cæca ignorantia, ait, vel segni negligentia, vel quæstuosa maleque placente adulazione, vel inepta levitate, vel, quod intolerabiliter pestiferum est, contagioso perversissimæ vitæ exemplo, ipsis scholaribus suis noxii sunt, a quibus non extirpant malas inclinationum radices, sed nutriunt et augmentant, dum, vel corrigere eos, ne abeant, extimescunt, vel quia relligio pietasque sordent eis et alium indignum officio deputant talia suos edocere scholares (1). »

Ex ea autem incuria fit ut adulescentes sint, a pueris, contumeliosi, vagi, petulantes, inobedientes, in omnibus denique vitiis implicati. Itaque, non solum studiis quolidianis abstinent, aut in scientia parum proficiunt, sed etiam inertiae et voluptatis consuetudine, juvenili ardore mox omnino carent, quo scholares ad fortia et honesta maxime instruantur et præparentur.

Quod damnum a studentibus avertere fatetur se non posse Gersonius, cum pædagogi ipsius monita rejecturi sint et ipsi adulescentes, istius corruptiōnis suavi et otiosa dulcedine allecti, suos perditos

(1) *Secunda Epistola... ad Studentes Navarræ*. Op. Gers., I. 411.

habitus malint servare, quam novam vivendi rationem amplecti. Quare studentes Navarrae hortatur, exemplis honestis, consiliis operam dent, ut aliorum gymnasiorum socios ad meliores mores, fraterna contagione, paulatim adducant (1).

Ex quibus declarationibus intellegere facile est, quam parva, apud magistros et scholares, esset Cancellarii auctoritas, quantaque veneratione dignus sit Gersonius qui, cum tot obstacula undique ei objicerentur, non dubitavit plurimorum pædagogorum, aut Magistrorum invidiam et odium in se promovere. Praeter has monitiones publicas, expostulationes ad regem aut Parliamentum missas, scripsit varia opuscula quibus *Romantium de Rosa*, *Stultorum ludos* tanquam fontes fœdæ corruptionis morum denuntiavit.

Initio quarti decimi seculi magna orta est controversia inter nonnullos hujus temporis insignes viros de ea parte *Romantii de Rosa*, quæ a Johanne de Meung confecta erat. Quidam scriptores aut litterarum « amatores » nimiis laudibus extollere solebant eximiam artem omnisque generis virtutes quibus, ipsorum quidem sententia, poeta in libello condendo usus esset. Inter quos Johannes de Montreuil, civitati Insulae præfactus, Gonthier Col, ejus amicus ac regis librarius, Petrus Col, hujus frater et Parisiensis Tornacensisque canonicus, tum nominis dignitate, tum ardore quo causam Johannis de Meung agebant, inter

(1) Op. Gers., I, 411. Cf. etiam *Epistolam de causis propter quas Cancellariam dimittere volebat*, IV, 725.

ceteros erant conspicui. Quibus fortiter obstitit Gersonius. Existimabat enim hunc librum et doctrina erronea et sententiarum indecentia plurima damna, præsertim adulescentibus et mulieribus attulisse. Jam Christina a Pisano, cuius Gersonius meminit in opusculo de *Innocentia puerili* (1), acriter reprehenderat hunc poetam immodestum, quod mulieres falso procacitatis atque impudicitiae criminis insimulasset (2). Cujus causam suscepit et magno ardore egit Cancellarius, in opusculo gallice scripto, cui inscribitur *Vision de Gerson* (3).

Quo facilius adversam partem confutaret legentiibusque gratior fieret res, similitudine et oratione figuris illustrata usus est. Fabulam quamdam finxit in qua personas plurimas, quæ omnium virtutum partes gererent, in scenam induxit. Initio operis, narrat se, quadam die mane, cum nondum e somno erat suscitatus, « vectum fuisse in Curiam sanctam Christianitatis ». Ibi erat frequens populus cui præferat « Justitia Canonica et Legalis, throno æquitatis insidens, sustenta hac Misericordia, illac vero Veritate ». Dextera sceptrum remunerationis tenebat, sinistra vero « scindentem gladium punitionis »; magnus quoque et illustris circa hanc reginam consilijariorum, amicorum servorum erat concursus: « Ex uno latere sapientissimum suum erat consilium et in circuitu, universa nobilis sua Societas, militia

(1) Cf. Op. Gers., III, 294.

(2) Cf. *Épitre au Dieu d'amour*.

(3) Op. Gers., III.

et omnium virtutum Baronatus, quæ filiae sunt propriæ Dei et liberae voluntatis, ut sunt Charitas, Fortitudo, Temperantia, Humilitas et aliae plurimæ in magno numero. »

Consiliariis vero præerat « subtile Ingenium firma societate Rationi sapienti junctum »; scribarum officio fungebantur Prudentia et Scientia, « dum Fides bona Christiana et Sapientia divina de stricto seu secreto erant consilio ». Memoria insuper, Providentia, Bonus Sensus et alii complures suum quoque Justitiae præbebant auxilium. Eloquentia autem Theologica « quæ medioeris et temperati erat sermonis » se Curiæ totius gerebat Patronam, sive advocationem; Causarum Promotor Conscientia nominabatur.

Dum Gersonius, his cogitationibus defixus, mirabatur quam pulchro ordine præclaraque majestate niteret hæc Curia insignis, subito e sede surrexit Conscientia, gravi pede ad Reginam processit, manu supplici plurima scripta protendens. Quæ quidem serena fronte accepit Regina. Inter hæc opuscula erat oratio pudica a timida castitate confecta, qua Dominam rogabat ut silentium imponeret cuidam « fatuo Amatori, qui eam criminosis audaciis sermonibusque impiis lacesseret ».

Fingit eo loco Gersonius se memoria tenuisse omnia verba quibus doluerat Castitas. Itaque octo articulis refert crimina quæ « fatuo Amatori » moverat pudica virtus.

Queritur Castitas primum quod iste se simulque comitatum omnem, Verecundiam, Pudorem, Dam-

num (quod quidem bonus est Janitor) (1) expellere e terra conetur. Quin imo consiliis iniquis vult « fatuus Amator » sacra connubii vincula frangere, ut facilius adolescentibus damnatos et impudicos mores suadeat, mulieresque tanquam abominandas depingit, ne cum eis certa matrimonii societate conjugantur (2).

Gersonius certe pernoscit *Romantii de Rosa* scriptorem ipsum intellexisse, quanto detimento legentibus essent picturae lascivae vel istae perversae sententiae, quibus plerumque fatuus Amator suas partes

(1) Cf. *Roman de la Rose*, versus 5060-5080, ubi Ratio Amatorem docet omnia Fortunae dona esse contempnenda ab eo qui felix vivere vult :

Nus n'est chetis s'il nel cuide être.
Soit Rois, Chevaliers ou Ribauz.
Maint Ribault ont les cuers si bauz
Portant sas de charbon en Grieve
Que la poine riens ne lor grieve ;
Qu'il en pacience travaillent
Et balent et tripent et saillent
Et vont à Saint-Marcel as tripes, etc.

(2) Quo loco Gersonius significare præsertim videtur vituperationes scurriesque jocos, quibus Johannes de Meung, Theophrasti, Valerii, Ovidii atque Boetii exemplo, mulierum mores dubios, fraudes, astutias afficit, dum lepida arte depingit curas incommodaque quibus quotidie obnoxii sunt plerique eorum qui matrimonio conjuncti sunt. Præterea Cancellarius jura laudesque honestoram connubiorum extollit, cum sibi persuasum habeat matrimonium præsertim reputandum esse bonorum morum præsidium ac tutelam, magnumque semper oriri detrimentum non tantum civibus sed ipsi societati, quoties hujus modi institutio irridetur. Cf. *Roman de la Rose*, versus 8493-9530, sed præsertim 9697-10031 ubi *Amicus*, Ovidio duce, Amatorem docet quibus artibus utendum sit, quo facilius mulieres decipientur et ipse ex ipsarum insidiis se expediat. Ceterum Media maxime ætate mos fuit, apud multos scriptores, præsertim poetas, maritorum uxorumque mores domesticos deridere atque in scenam inducere ; qua ratione certe paulatim minor facta erat matrimonio.

defendat (1), negavisse quoque hanc doctrinam præsertim juvenibus commendandam esse; eum tamen non crimine absolutum, sed contra inde magis damnandum atque opus quod scripsit magis reprobandum existimat, cum nemini liceat, joci aut artis specie, res sanctas in derisum aut contemplationem adducere.

Præterea iste fatuus Amator « vilipendit homines qui se religioni dedunt », promittit contra Paradisum, gloriam, præmium æternum omnibus his qui « carnalia opera complebunt, præsertim non in matrimonio ».

Quo autem facilius assequatur Amator id quod sibi proposuit, totis viribus conatur cogitationibus lubricis legentium mentes et animos inflammare : « Veneris et Cupidinis et Genii » illecebras molibus picturis commendat; infamat autem Dominam Rationem eamque jubet « loqui nude, illote et turpiter juxta libidinem sine verecundia de omnibus rebus quantumcumque abominabilibus aut erubescendis ». Quotiescumque fit sermo, etiam de rebus sanctissimis, consulto verbis dissolutissimis utitur, quibus corrumpatur ipse religiosus animus; omnia

nisi veneratio. Cui damno obsistere voluit Gersonius, cum jam, præter *Romantum de Rosa* nonnulli essent libri, qui de eadem re tractabant et maxime a studentibus probabantur, ut *De Planctu Naturæ*, *Epistolæ Abelardi atque Heloydæ* ab ipso Joanne de Meung translate, etc. Vide etiam in compendio cui inscribitur *Ancien Théâtre françois* (Bibl. Elzev.). *Farce nouvelle, à cinq personnages, des femmes qui font refondre leurs maris, c'est assavoir, Thibault, Collart, etc.*; et *Farce très bonne et fort joyeuse de l'obstination des femmes à deux personnages, etc.* Tomes I et III.

(1) Cf. *Roman de la Rose*, 15337 à 15305.

denique turpia tanquam laudanda, laudanda contra tanquam vilia prædicat (1).

Præterea eximia arte, industriaque subtili describit vitia ut citius juvenes ad peccandum alliceat : interdum quoque « mel veneno miscet » et sapientia aut virtutis specie sua nefaria consilia commendat. Quare Castitas, Conscientiæ ore, Justitiam Dominam rogar ut his omnibus injuriis et periculis quam citissime provideat, cum jam malum plurimorum animos invaserit.

Audita vero Conscientia, quaerit ipsa Justitia num sint, inter Curiae Christianitatis oratores, qui Amatoris fatui causam defendant : statimque incedunt undique « homines sine numero, juvenes et senes, omnium sexuum et ætatum ».

Qua fictione monet nos Cancellarius quam multi fuerint qui *Romantii de Rosa* doctrinis et voluptatibus allicerentur. Qui quidem, dum Amatoris causam agunt, apertissime nobis demonstrant quibus præsertim argumentis solerent juvenes hujus temporis istius libri laudes extollere et suos corruptos mores simul excusare : « Vult unus excusare, aliis tutari, aliis laudare eum ; aliis veniam quærebat ob juventutem et stultitiam, allegando illum Amatorem pœnitentia ductum fuisse, quando scripsit (2). » Adulescentium vero, qui litteris et artibus student, hujus libri scriptorem, ob præclararam morum scientiam et acutissimum ingenium, inter eruditissimos

(1) Cf. *Romantium de Rosa*, v. 41263 à 42213.

(2) Op. Gers., III, 299.

viros habent; alios autem juvat quod « tam apte veritatem dixerit de omnibus statibus, non parcendo nobilibus, non ignobilibus, patriis, nationi nec seculo, nec religioni (1) ». Quin imo, multi eum criminis absolvunt, quod arte et dicendi modo, quibus sacri scriptores usi sunt, ipse quoque usus sit : « Quid mali, aiunt, precor, si homo iste talium sensuum, talis studii et famae talis, componere voluerit librum, in quo introducuntur personæ magno artificio, unaquæque secundum jus suum et proprietatem loquentes ? Nonne, dicit Propheta, in persona fatui, Deum non esse ? Et sapiens Salomon, nonne specialiter totum *Ecclesiasticum* tali tenore composuit ? Ideoque salvatur et defenditur a centum erroribus qui eo in Libro scripti reperiuntur. Si hic Amator levibus verbis usus sit, conditio est Veneris vel Cupidinis, aut fatui cuiusdam Amoris, quem representare volebat per verba quæ trahi possent ad malum. Verumtamen nonne leguntur quæ loquebatur Salomon in Canticis suis modo amatorio per verba ? »

Quibus exemplis citationibusque manifestum fit omnibus, quanta perspicacitate Gersonius in hominum animorum latebras lumen attulerit. Dum ejus scripta legimus, sentimus eum, non semel, sive cum professor erat Navarræ, sive cum Cancellarii munere fungebatur aut confessionis officio indulgebat, expertum esse quibus argutiis saepe et aculeatis sophismatibus adulescentes conarentur honestæ rationis et

(1) Cf. *Romantiun de Rosa*, 4853-5040.

naturae sensum comprimere, quo animi cupiditatibus libentius cederent.

Studentium enim est, et imperitorum quidem, ea disputandi ratio, in qua actores, non rebus ad probandum aut arguendum maxime pertinentibus, sed infirmis argumentis utuntur, ut causam obtineant et e memoria, potius quam e veritatis fonte, trahunt unde rem probare possint. Quare legentibus nobis illas dissertationes varias statim, nunc quoque, occurrit tanquam disputationum imago, quibus quotidie effervescebant omnes isti adulescentes, vix sexdecim aut viginti annos nati, cum, ludendi causa, Pratula, *Clericis* dicta, peterent; adeo ut aures nostræ verborum strepitu inanique oratorum loquacitate tinniant, oculi gestibus immoderatis obœcentur et mens ipsa sermonum crepitū turbetur. Hac *Nominalistæ* stant, hujus ætatis Pyrrhonii, qui, cum omnia nihil nisi vocis flatum esse doceant, suas opiniones subtilitate mira puerilique audacia ceteris proponunt : « Sed quid mali, aiunt, est in nominibus illi qui non ibi immoratur? Nomina sunt sicut alia nomina; posteaquam ergo per unum nomen una res intelligitur, et per aliud illa eadem, quid obesse potest per quod nomen res detur intelligi (1)? »

Illac contra incedunt Realistæ; cum sit eis gravius ingenium, profitentur bonum esse quidquid a natura procedit : « Certum est, exclamat isti, in natura nihil turpe esse. Turpitudo enim solum est ex peccato, de quo tamen verba sunt quotidie per propria

(1) Op. Gers , III, 299.

ejus nomina, sicut de homicidio, furto, fraudibus et rapinis (1). » Tandem irrumpit subtilium dialecticorum cohors qui verborum concertationibus et captiunculis demonstrant *Romantium de Rosa* non perniciosum esse reputandum, sed contra ad docendum perutile opus, etiam plurimum saepe ad mores legentium informandos conferre; quod si passim sint in eo loci minus honesti, infirmitatis humanæ, non pravae scriptoris voluntatis indicium esse confirmant. Quare libenter comparationem instituunt inter hunc libellum et ceteros libros quibus, in iudicis, quotidie utuntur, quos nemo sane reprehendendos putat, cum sint tamen, magna ex parte, sententiis et imaginibus parum modestis referti.

Subito autem conversa res est: e throno surgit Theologica Eloquentia austero vultu procedens, quam Gersonius vocat « Christianæ Curiæ sapientem et perdoctam Advocatam ». Sonora voce suavi ac mediocri declarat se nomine Dei ipsius locuturam: quare non dubitat asseverare *Romantium de Rosa* esse Christianis omnibus abominandum; vellet istius operis scriptori a Deo concedi, ut ad vitam iterum redeat: opinatur enim eum redivivum « velociter, ultro et æquo animo » delictum suum confessurum, veniamque pro delicto petiturum, cum ipse, antequam est mortuus, amicis adstantibus, de peccato suo doluisse, librosque interea de vera fide et sancta doctrina edidisset. Qua agendi ratione confitebatur ipse quantum damnum legentibus praesertim junio-

(1) Op. Gers., *loco citato*.

ribus intulisset; omnibus enim perspicuum est vitia et peccata, si facile omni aetate discantur, praesertim in teneris annis et in adolescentia grata esse, cum tunc natura nimium prona et inclinata sit ad cadendum et « immergendum in immundicitiam spurciamque totius carnalitatis ».

Cui primo scriptoris criminis fatentis se inhonestata scripsisse, id accedit quod scriptum non delevit, causaque fuit cur, per universum mundum, tanquam venenum lethale, perfunderetur. Quo efficacius accusationem constituat Eloquentia Theologica, exemplis ex memoriis aut fabulis Paganorum sumptis, ostendit quantis periculis obnoxii sint, qui, amoris dissoluti voluptatibus cedunt, citatque sententias plurimas Tullii, Platonis, aliorumque complurium, quorum nomina et doctrina maximo honore apud studentes habentur.

Cum ea ratione causam instituerit Eloquentia, singulos redarguit oratores qui fatui Amatoris partes sustinuerunt, ipsorumque argumenta inania esse et vacua demonstrat; concludit igitur hunc librum nulla ratione excusandum ejusque scriptorem tanquam morum corruptorem habendum esse, et ideo ab hominibus honestis contemptu maximo afficiendum, praesertim cum apud paganos, Ovidius ipse, vir utique doctus ac ingeniosissimus poeta, missus fuisset in exilium perpetuum, quod opus de *Arte amandi* scripsisset. Ea quoque occasione libenter utitur Gersonius ut professoris personam gerat; itaque longa dissertatione *Romantium de Rosa* cum Ovidii libro confert, nec dubitat affirmare poema Gallicum periculosius sibi videri quam Romanum.

Non solum enim materia obscena personisque dishonestis mentem allicit Johannes de Meung, sed etiam arte quadam scribendi perniciosissima ; narrationes pessimæ, picturae lascivæ, sententiis castissimis saepe involvuntur et commendantur, adeo ut totum opus simillimum sit illi Horatiano monstro, quod superne pulcherrimæ feminæ habet speciem et desinit in atrum pisces (1) ; ipsa vero Johannis de Meung oratio plerumque lepida fit, elegans et concinna ; verba jucunditate mulcent animumque voluptatis imagine movent.

Contra quam pessimam artem pugnat Cancellarius : putat enim hunc loquendi scribendique modum prohibendum esse propter « phantasiæ imbecillitatem, quæ his titillationibus plus æquo inflammatur, præsertim apud naturas debiles, infirmas, quæ, propter nervositatem nimiam, ardenter interdum ad voluptates carnales promptæ sunt (2) ».

Quas quidem operis damnandi rationes cum immensa et inordinata concione protulerit Eloquentia, scriptorisque ipsius laudes non negaverit, librum declarat esse comburendum. Quam quidem sententiam jam defenderat Christina a Pisano ipsa, et Gersonius, multis in aliis scriptis confirmavit (3) : « Et si quid in me est cui fidem dare signum ducis, affirmo, si solus esset liber actoris tui mihi proprius,

(1) Eamdem sententiam de hoc opere profert Gersonius in *Epistola de Innocentia puerili*, cum *Romantium de Rosa* dicat « Iroddium quoddam Germanicum, Babyloniam confusionem ».

(2) Op. Gers., III, 307.

(3) Cf. Op. Gers., III, 923, 925, 929, 930, 931, etc.

valens mille libras et amplius, ego prius darem eum flammis rapacibus exurendum, quam venderem taliter publicandum... Assero tibi, si scirem germanum meum composuisse talem librum, atque publicasse, pœnitere autem super hoc præmonitus et animadversus sufficienter, finaliter recusare, ego non plus pro eo in hac imponitentia mortuo, quam pro damnato preces offerrem Domino Jesu Christo (1). »

Altera quoque et perniciosa quidem, eo tempore, causa fuit cur mores honesti perderentur ludorum Stultorum deliramenta. Jam antea a plurimis ecclesiasticis concilii condemnata fuerat hæc consuetudo; adeo tamen invaluerat, maxime inter studentes, ut Gersonius e Brugis de hac re ad Petrum Alliacensem, anno circiter 1400, scriberet epistulam in qua querebatur quod, pastorum et magistrorum ignavia corruptio, ob istas exhibitiones, in diem major fieret : « Expertus loquor, aiebat, et hoc unum quanquam innumera sunt alia, profero in me assertionis argumentum, videlicet quod in Ecclesiis Cathedralibus et præcipuis, insanæ falsæ ex sacrilegis paganorum idolatrarumque ritibus reliquiæ, pene ubilibet exercentur. Nec obstat locus orationis, nec sacrosancti corporis præsentia neque divinorum celebratio quin impudentissima dissolutione ab Ecclesiasticis talia fiant qualia vel scribere horror est, vel cogitare. Quod si quis etiam prælatorum obniti voluerit, mox irridebitur, exsibilabitur, impugnabitur.

(1) *Responsio ad scripta cuiusdam errantis de Innocentia puerili.*
Op. Gers., III, 296.

Eece, inquiunt, tertius e cœlis cecidit Cato ! quanto sapientiores et utiliores erant prædecessores tui, qui haec non solum toleraverunt, immo facientibus blanditi sunt (1). »

Omnium vero animi adeo ea contagione imbuti erant, ut irritæ fierent Gersonii hortationes, et ei necesse esset auxilium a potestate civili et ecclesiastica postulare, quo fortius hanc pestem repelleret. Qua de re *quinque Conclusiones super Ludos Stultorum* edidit Cancellarius, in quibus, cum abominandos « *Stultorum abusus* » in memoriam revocasset, sequentes articulos promulgavit :

I^a *Conclusio.* — Afferere... quod per longum usum vel sub umbra jocorum... sit res permissibilis fieri hujusmodi ludos stultorum cum istis inordinatiōnibus, quibus cernuntur fieri in sancta Ecclesia, error est in fide nostra et in christianam religionem blasphemia. Et adhuc pejus est dicere festum hoc adeo approbatum esse, sicut festum Conceptionis Virginis Mariæ, quod paulo ante asseruit quidam in urbe Altissiodorensi, secundum quod dicitur et narrari solet.

II^a *Conclusio.* — Possent et deberent condemnari, ut hæretici blasphemi et dantes manifesta scandala contra fidem nostram et ut insequentes errorem idolatrorum aut Saracenorum, hi qui taliter dicere vellet et pertinaciter defendere absque revocatione aut correctione. Et si revocare velint aut emendari, pœnitentia aspera et dura eis imponi debet pro emenda-

(1) Op. Gers., I, 121.

tione aliorum et animarum illorum qui talia perpetrarunt salvatione.

III^a Conclusio. — Viso ac considerato quod multi Prælati noluerunt, aut fortassis non potuerunt hactenus talibus insolentiis, et Fidei nostræ irrisionibus finem imponere, aut propter Capitulorum, vel aliarum Ecclesiarum exemptiones, aut ob malum Majorum ignavia et negligentia nimis irradicatum, aut ob aliam quamvis causam, quæ eos excusat minime. Rex imprimis, et alii Christiani principes possunt rationabiliter, sancte, justeque de remedio providere per Edictum, ac prohibitionem generalem, atque per coactionem rebellium et inobedientium. Et apparere posset eos obligari ad illud exequendum, veluti Sanctæ Ecclesiæ protectores.

IV^a Conclusio. — Ponere remedium contra præfatos abusus esset opus in se majoris acceptationis et laudis coram Deo, quam nonnullas in magno numero fundare Ecclesias, aut facere largas eleemosynas in argento, absque hoc, ut provisio ad hoc adhiberetur. Honor enim christianæ religionis melius conservaretur et exaltaretur.

V^a Conclusio. — Scienter impedire convenientem provisionem supra dictis malis esset mortaliter peccare, et se suspectum reddere, se malum esse christianum, et persidum paganorum filium. Omne hoc probaretur per Sanctam Scripturam et Doctores, mala talia et abominabilia festa expresse reprehendentes, sicut idolatria et maledictas vanitates. Et si quis dicat ibi duntaxat ludum esse et recreationem, audi responsum breve, per vulgatum proverbium

verissimum et observandum : « Non jocari debet quæcumque anima cum Fide, oculo et bona fama, nec laudatur ullo Fides, oculus aut fama ludo... Gratiae laus et benedictio sit omnibus illis qui remedium ponere nitentur, unusquisque secundum vires suas. »

Quæ quidem « magistrales declarationes » plurimum certe valebant apud plebem ad mores corrigendos, cum ista divulgatione publica vitium infamia majore notaretur ; negabat tamen Gersonius eo modo consuetudines pravas radicitus ex animis extirpari posse. Quod respondere solebat eis qui eum increpabant quod, Lugduni, concionandi aut profitendi loco, tempus consumeret parvolorum et adulescentium « secretis admonitionibus » faciendis (1).

Unam enim putabat esse efficacissimam viam parvolorum præsertim ad virtutem instituendorum, confessionem scilicet vitiorum, ritibus christianis et apparatu factam « cum nulla fieri possit, inquit, monitio accommodator, nulla conferri medicina aptior ». « Judico, scripsit in tractatulo *de Parvulis...*, confessionem, si modo recte facta fuerit, esse directricem efficacissimam ad Christum ; aperiuntur enim per eam morbi peccatorum intimi, si docte, prudenter et morose perscrutatus omnia fuerit confessor obstetricandi scientiam habens ad educendum ex anima colubrum tortuosum et ad ejiciendum virus pestilens a corde, quo manente, nullius unquam parvuli spiritus crescat in Christo ; sed jugiter morbidus et lan-

(1) *De Parvulis...* Op. Gers., III, 287.

guidus, immo emortuus et sepultus jacebit in sterquilinio peccatorum (1). »

Itaque plurima scripsit opera quibus, sive parvulorum rectores et praeceptores hortaretur ut discipulos ritus confessionis docerent, sive parvulis ipsis modum peccatorum confitendorum preberet (2). In tractatu jam saepe citato *de Parrulis trahendis ad Christum*, nobis aperit sedulo Gersonius rationem qua ipse existimet peccatorum confessione esse utendum, ut inde maximum commodum pueris trahatur. Vult saltem semel in anno parvulos omnia peccata confiteri, « non in transitu neque strangulato ore, sed diutine et perfecte », quia ea ratione docentur juvenes multa vitia, quorum malitia eos fugit; discunt nihil celare, et tandem « quietantur suavius in conscientia (3) ». Præterea necesse est confessor magna discretione utatur, sedula constanza, paterno amore. Affirmat autem Gersonius ipse se non semel benigna longanimitate parvulos ad bonos mores adduxisse, qui severitate aut minori diligentia a virtute amoti essent. « Ecce coram Deo, quia non mentior, plures audivi a triennio confitentes parvulos et quosdam eorum grandiusculos, qui fatebantur se nunquam peccata sua fuisse dicturos alteri non sic condescendentि et diligenter

(1) Op. Gers., loco citato, III, 283, 284.

(2) *De arte audiendi confessiones*, Op. Gers., II, 448; *Contra recidivum peccati*, II, 457. *Opus tripartitum de præceptis Decalogi*, I, 426, et alios tractatus gallice scriptos, quorum meminit in opusculo *de Parvulis*, III, 286.

(3) Op. Gers., III, 283, 284.

interroganti, instante etiam mortis articulo, quantumlibet damnari debuissent (1). »

Quapropter confirmat his qui confessuri sunt peccata se erga omnes magna misericordia uti, levesque eis pœnitentias infligere, cum in noxios eo dulcius et mansuetius affectus sit, quo graviores sint ipsorum culpe (2); insuper declarat se solitum esse confessis commendasse ut quatuor præcepta sequentia servarent, quæ his versibus consignaverat :

Non opere aut verbis alios corruperis unquam :
Sit satis ipsa tibi perditio propria.
Si quem perdideris monitis actisve nefandis,
Discrete ad rectum mox revocare stude.
Non pudor obsistat, tua quin Confessio plene
Crimina scita notet, vel nocet illa tibi.
Tu de confessis gratus tu ne recidives.
Signo aliquo facili jugiter esto memor.

Nou nescit Gersonius interdum damna etiam pueris a confessione evenire, cum nonnulli, ut gratiore confessoribus habeantur, peccata celant, plures alii, spe ipsa veniae futuræ facilius « ad vomitum » redeant. Istiusmodi nihilominus incommoda, quantcumque sunt, non obstant, quin maxime utile sit pueros peccata assidue confiteri, quemadmodum « quanquam quotidie manus sordidantur, non minus abluimus illas », præsertim cum sæpiissime constanca, mansueta arte, interrogationibus discretis eliciantur veritas et mores reformatur.

(1) Op. Gers., III, 286, 287.

(2) Ibid., III, 289.

CONCLUSIO

Jure igitur, hujus operis initio, dicebamus Gersonium potius scriptis, hortationibus, assidua denique voluntate pueris adulescentibusque instituendis profuisse, quam novas doctrinas conficiendo novaque instituta moliendo.

Iisdem fere disciplinæ rationibus quam æquales usus est, eadem quoque doctrina, quare omnis ejus laus præcipue in eo est quod cura teneriore, judicio saniore, prudentiore sapientia, amore præsertim veriore ad parvulos et adulescentes accessit, non quod præcepta rara vel sententias inauditas de arte puerorum educandorum præbuit. Nemo tamen putet Gersonii laudem esse inde minuendam, præsertim cum, eo tempore, nulla esset disciplina constituta, nulla doctrina admodum perfecta, omnesque qui de ea re scribebant, non suas proprias, sed saepius antiquorum scriptorum aut Patrum ac Doctorum christianorum sententias proferrent.

Attamen, dum ceteros docet aut regit Gersonius, tanta plerumque animi prudentia pollet ut ex sententiis vel consiliis quæ, sive orando, sive scribendo passim protulit, doctrinæ exquisitæ summa confici potest et totius puerilis disciplinæ quasi insignis adumbratio. Non mirum igitur quod, paulo post

Gersonii mortem, .Eneas Sylvius, qui postea Papa, nomine Pius II, creatus est, dum insignem *Tractatum de liberorum educatione* (1) conficit, non semel ex Cancellarii libris, tanquam e fonte uberrimo, haurire videtur, unde Ladislao Ungariae ac Bohemiae regi, tunc adulescenti, consilia eximia præstet. Decimo quoque septimo saeculo, cum Carolus quidam Demia (2) sacerdos, scholas Lugdunenses restauraret, novamque earum disciplinam scriberet, Gersonii expressis verbis meminit, quem vere habet auctorem ac promotorem regularum quas ipse instituit.

Nemo sane .Eneam Sylvium Gersonio, neque scientia, neque doctrina, neque sententiis omnino parem judicabit, cum prioris opus de disciplina completa et perfecta regis præsertim instituatur. Attamen saepè et ex consulto .Eneas, dum scribit, præcepta et regulas tradit, quæ non solum ad principum liberos spectant, sed ad omnes pueros regendos et educandos; tota autem libri materia arte et ratione

(1) *.Enev Sylvii Pii Pontificis Tractatus de Liberorum educatione, editus ad Ladislauum Ungariae et Bohemiae regem. Hoc opus anno 1450 editum est.*

(2) *Remontrances faites à Messieurs les Prévosts des Marchands, Échevins, etc., touchant la nécessité et utilité des Écoles chrétiennes.* Postquam Demia ostendit quibus præcipue rationibus pueris pauperibus instituendis sit incumbendum, hæc addit : Le Grand Gerson, quoique Chancelier de la première Université du Monde, avait tant d'estime de ces petites Ecoles qu'il ne dédaigna pas de s'y appliquer dans cette ville : il dit même qu'il ne sait rien qui soit plus utile ni plus nécessaire dans la république chrétienne que cela : Nescio prorsus si quidquam majus esse potest quam animas ab ipsis inferni portis eripere et tales parvolorum animas quasi plantare aut rigare. (*Règlement pour les Écoles de Ja Ville et du diocèse de Lyon, p. 63.*)

accuratissima distribuitur; eruditione doctissima, exemplis sententiisque potius a profanis quam a christianis auctoribus sumptis commendatur, densa denique brevitate potiusquam molliore ubertate componitur.

Quare, cum primum hoc opusculum perlegis, maxima tibi videtur discriminē differre a *Tractatu de Parrulis* aut aliis Gersonii libellis, in quibus Cancellarius de puerorum institutione scripsit. Quin etiam .Eneas multo magis de rebus mere naturalibus, ut ita dicam, et quæ sive de corporis cultu, sive de mente informanda scientiis profanis sunt, quam de rationibus e doctrina christiana sumptis se sollicitum præbet. Non jam Christianum tantum, sed regem, sed virum omnibus virtutibus præditum instituere vult: itaque magis disserit de officiis a quolibet homine, dum vivit, implendis, quam de his sublimioribus consiliis quibus christianus ad virtutes eximias a Christo commendatas evehendus est. Gersonius sane, uti non semel animadvertisimus, non neglexerat pædagogos aut parentes docere, quantum referret pueros tum corporis, tum mentis sano cultu et educatione formare, attamen, ut qui ardenti et mystico, ut aiunt, impulsu trahatur, magis quam recta et rigida ratione ducatur, ea præsertim commendavit quæ animos disciplina Christi et theologia institutione regunt et instruunt. Quod facilius intelleges, si, paucis verbis, ante oculos habueris præcipuas, quas de ea re protulit .Eneas Sylvius, sententias.

Initio *Tractatus de liberorum educatione*, .Eneas

Sylvius, postquam ostendit Scipionis, Fabii, Catonis, Cæsaris doctrina et exemplis, quantum utile esset princeps optimis rationibus institueretur, declarat se, in quatuor capitibus, Ladislaum docere quæ præcepta sint principi servanda, dum puer est, aut juvenis, aut vir, aut senex, ut regali officio quam optime fungatur. In *Tractatu* vero de puerili disciplina tantum agitur. Docet primum scriptor quæ curæ adhibenda sint præceptoribus parentibusque ut corpora puerorum aut liberorum sana et robusta fiant : « Cavendum est, ait, ne nimis molliter pueri enutriantur, ne somno plus quam satis aut quieti indulgeant, cum molllis educatio nervos omnes mentis et corporis frangat. » Quare, in lectis, vitanda est plumarum mollities : « hærere sericum carni nolim; interdum grosso lino utendum est, sic fiunt membra solidiora et laboris magis patientia ». Vult, saltem in principum filiis, curam adhiberi de forma ipsa membrorum ac pulchritudine corporis : « Cum sis natura pulcherrimus, ait, studendum est ut gestus formæ respondeant, ut recta sit facies, ne labia detorqueas, ne linguam sugas, ne vitium ebrietatis effingas, ne servilem imiteris vernalitatem, ne supinus sit vultus, ne dejecti in terra oculi, ne inclinata utralibet cervix, ne inductæ rusticæ manus, ne status indecorus, ne cessio irridenda, etc. » Deinde statuit *quali cibo et potu pueris uti conveniat*; vult eos moderatos esse præsertim in bibendo, cum in eis sit « multum succi, cum sint lacte et sanguine pleni, raroque sitim sentiant ».

Maxima tamen cura adhibenda est ut puerorum

mens bonis doctrinis, statim a prima ætate, instruatur, cum « nihil in terra sit pretiosius, nihil præstantius illuminato intellectu ». Itaque « catalogum » instituit Eneas, scientiarum sententiarumque quibus præsertim informandi sunt pueri et adulescentes: qua in re conficienda Gersonium sequitur, saepetamen ab eo differt. Vult pueros christianos discere et memoria retinere « Orationem dominicam, Salutationem Beatæ Mariæ Virginis, Johannis Evangelium, symbolum fidei, collectas quoque plures, quæ sint mortis peccata, etc. ». De profanis autem scientiis addiscendis prolixius disserit ac longa dissertatione tradit *quales orationes, quos ornatus pueri scire debant, qua ratione memoriam ererveant*; deinde præcepta subtilissima Grammaticæ, et Rhetoricae commendat; denique scriptores enumerat et poetas qui pueris maxime sint legendi: theologos putat de rebus abstrusioribus plerumque dissere, ut eorum opera pueris committantur: historici contra, philosophi, oratores et maxime poetæ plurimum saepet conferunt ut mens adulescentium sententiis exquisitis enutriatur. Inter omnes Vergilius commendandus est; legendus est quoque Lucanus, « grandis auctor historiæ », Statius, Ovidius, Horatius, Persius, Juvenalis, Martialis, quanquam plerique eorum poetarum obscenis sententiis emendandi sunt. Elegiam vero qui scripserunt « omnes pueris negari debent: nimium enim sunt molles: Tibullus, Propercius, Catullus et quæ translata est apud nos Sappho ». Inter comicos Plautus et Terentius plurimum possunt conferre « ad eloquentiam in pueris promovendam ».

Omnium tamen scriptorum oratores, historici, philosophi pueris instituendis maxima commoda præbebunt, inter quos plurimum valent Cicero, sanctus Ambrosius, sanctus Augustinus, Lactantius, Pogius Florentinus, Ambrosius monachus Camuldensis, Titus Livius, Quintus Curcius, Arrianus. Legendi quoque sunt Bibliae sacrae libri præcipui, maxime qui ad mores aut ad populi Hebraici historiam referuntur, ut sunt *Genesis*, *Regum libri*, *Machabæi*, *Judith*, *Esdras*, *Esther*, *Evangelia et Acta*.

Si quis hæc præcepta contulerit cum eis quæ de eadem re tradidit Gersonius, necessario fatebitur, apud Eneam Sylvium, majorem reperiri sapientiam, majorem quoque cultum antiquorum scriptorum. Non semel declarat se Eneas amore veritatis tantum duci, eo enim animo libros præcipue, qui de rebus historicis scripti sunt, omnibus commendat, cum « historia, ait, sit testis temporum luxque veritatis ». Quare dum Gersonius *Chronicas Francorum* Caroli VII^o filio commendat, vult Sylvius Ladislauum a Bohemorum Ungarorumque innumeris *Chronicis* cavere, cum sint plerumque « ab indoctis scriptæ, multas ineptias contineant, multa mendacia, nullos ornatus ».

Ea vero consiliorum prudentia magis quam rerum novitate Gersonio præstat Aeneas Sylvius; uterque enim suam doctrinam potius ex antiquorum scriptorum operibus trahunt quam ex propriis sententiis constituunt. Quod expressis verbis animadvertisit Aeneas Sylvius in initio *Tractatus*. Gersonius tamen, ut iam diximus, magis sacris aut christianis scripto-

ribus utitur ; Eneas profanis : prior citat semper Bonaventuram, sanctum Augustinum et alios patres ; posterior vero, Quintilianum, Senecam, Plutarchum, Crisippum, Aristotelem ; uterque vero, si de quibusdam minoris momenti interdum dissentunt, de præcipuis tamen consentiunt : immo, dum Eneas scribit sive de præceptorum officiis, sive de modo puerorum virgis castigandorum, sive de periculis quibus adulescentes, in scholis, ob malas conversationes, obnoxii sunt, videtur tantum alio sermone sententias ipsius Gersonii expressisse. Quare si Gersonius plerunque minus copiosa eruditione præceptorumque varietate, Eneæ cedit, puerorum saltem amore gratuito et benigno, qui est totius disciplinæ animus, omnino commendandus est et eo omnes æquales et ipsum Eneam Sylvium superat.

Gersonius enim, sive dum pueros instituit, sive dum pædagogis aut parentibus præcepta tradit, sive dum pueros ipsos alloquitur, ea semper sedula et modesta benegnitate insignis est, cui cedunt artes eruditissimæ et ipsa subtilissimæ doctrinæ ratio, cum pueri et adulescentes ad bonum, nisi studio et amore, non trahantur. Quam sententiam ipse confirmat, dum in *Tractatu de Parvulis* scribit : « Quid proderit instructio, ubi deest amor ; oportet pro parvulis parvulum se facere, seclusis tamen vitiis : natura est contumax, ait Seneca, magis ducitur quam trahitur (1). »

Qua quidem indulgentia dignus est Cancellarius

(1) Op. Gers., III, 277.

qui, apud posteros, omnis generis laudes obtineat atque omnibus adulescentium institutoribus ac magistris exemplum præbeatur. Quod quidem, etiam nostra ætate, jure animadvertisit vir in omni puerorum instituendorum scientia peritissimus, F. Buisson, dum hæc de Gersonio scribit : « Il y a certainement dans cette touchante prédilection, dans ce respect et cet amour des enfants, la trace d'une inspiration pédagogique bien supérieure aux duretés sinistres de toute l'École du moyen âge et qui devance Montaigne et Fénelon (1). »

(1) *Dictionnaire de Pédagogie*, article *Gerson*.

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII Kal. Aug. ann. MDCCCCI
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus : A. CROISET.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX RERUM

OPERUM NOTITIA.	1
PROEMIUM	v
CAPUT I. — Quibus causis ductus fuerit Gersonius ut pueris adulescentibusque educandis incumberet.	4
CAPUT II. — Quae ad corporis necessitates pertinent quo- modo Gersonius curaverit	26
CAPUT III. — Qua ratione voluerit Gersonius mentem in- stitui	52
CAPUT IV. — Qua ratione voluerit Gersonius mores refor- mari puerosque ad Christum trahi	81
CONCLUSIO.	103



BQ
6612
.L17
June 5/86
JPC

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

1259.

